

alis: Ergo extrinseca illa intentio non destruendi substantiam panis nisi ad ponendum corpus Christi, non impedit quominus substantia panis dicatur annihilari. His ergo pretermittis

69 Probatur conclusio triplici ratione D. Thomae hic art. 3. Prima insinuat in argumento, sed contra, ubi sic dicitur, iuxta Augustinum lib. 83. questionum, quæst. 21. Deus non est causa tendendi in non esse: Sed hoc sacramentum divina virtute perficitur, ita ut sit speciale opus divine virtutis & omnipotentis: Ergo in illo nulla entitas seu substantia annihilatur. Hæc ratio similis est illi qua idem S. Doctor 1. parte quæst. 104. art. 4. probat quod Deus de facto nullam rem in nihilum redigit. Verba ejus sunt: Redigere aliquid in nihilum non pertinet ad gratiam manifestationem, cum magis per hoc divina potentia & bonitas ostendatur, quod res in esse conservet; unde simpliciter dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigitur; cum ergo Deus sacramentum Eucharistie instituerit, ut suam gratiam & bonitatem manifestet, non debet in eo substantiam panis annihilari: immo ejus annihilatio fini institutionis hujus sacramenti non videtur conveniens.

70 Secunda ratio habetur in corpore articuli, potestque sic breviter proponi: In hoc sacramento reperitur vera & totalis conversio substantie panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Sed hujusmodi conversio salvari non potest, si substantia panis & vini annihilaretur: Ergo illa non desinit per annihilationem. Major est certa de fide, Minor vero probatur: Tum quia id quod annihilatur, non transit in aliud, cum terminus annihilationis debeat esse ipsum nihil, non vero entitas aliqua positiva; Tum etiam quia si substantia panis annihilaretur, deberet corpus Christi per aliam actionem distinctam produci: Sed postea hæc duplici actione, non salvatur ratio conversionis, quia ad rationem conversionis requiruntur duo termini positivi, cum per hoc conversio ab annihilatione & creatione distinguatur, ut constat ex dictis §. 1. articuli præcedentis: posita autem hæc duplici actione neutra haberet utrumque terminum positivum, annihilatio enim haberet tantum terminum a quo positivum, productio vero corporis Christi sub speciebus, tantum terminum ad quem, &c.

71 Dices, ex duplici illa actione unam veluti totalem consistere, que dicitur conversio, cujus terminus a quo est panis, & corpus Christi terminus ad quem.

Sed contra: Ex annihilatione panis & actione productiva corporis Christi, non potest confingere una totalis conversio. Ergo hæc solutio falsum supponit. Consequenter patet, probatur Antecedens. Actiones autem mutationes unam conversionem constituentes, debent talis esse nature, ut una ex natura rei sequatur ad aliam: Atqui ad annihilationem panis non sequitur necessario positio corporis Christi, cum absolute possit esse annihilatio absque ulla alterius rei productione: Ergo ex annihilatione panis, & ex actione productiva corporis Christi, non potest resultare una totalis conversio. Major probatur: Ad rationem conversionis necessarium est, ut ex vi destructionis termini a quo, que est mutatio illius, ponatur terminus ad quem, per aliam mutationem ad ipsum terminatum: Ergo necessarium est, ut mutatio unius sequatur ex mutatione alterius. Unde recte ait S. Doctor, quod conversio sollicitur, postea annihilatione substantie panis. Ex quo inferit Soto in 4. distinct. 9. quæst. 2. artic. 4. quod annihilationis opinio, vix citra errorem fuit veri potest. Vasquez autem hic disput. 183. cap. 1. ait illam favere hæreticis, & eis arma ministrare ad destruendam mirabilem conversionem substantie panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, quam fides Catholica profiteatur: qui proinde teste Waldensii tomo 3. cap. 63. hoc argumento adversus Catholicos utuntur, quod impossibilis sit conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, eo quod substantia panis & vini desineret esse totaliter, ac proinde annihilaretur: quod autem annihilatur, non potest in aliud converteri.

72 Tertia ratio insinuat a D. Thom. in solut. ad 3. quod eo tendebat, ut probaret desitionem panis esse annihilationem, quia substantia panis post consecrationem nihil est. Et respondet, quod licet substantia panis post consecrationem non sit aliquid, id tamen in quod substantia panis est conversa, aliquid est, & propterea substantia panis non est annihilata. Unde sic arguo: Desitio in aliquid positivum, non est annihilatio; cum enim annihilatio opponatur creationi, per hoc quod creatio incipit a nihilo, & terminatur ad aliquid positivum; annihilatio vero incipit ab aliquo positivo, & desinit in nihilum: sicut productio que incipit ab aliquo positivo presupposito, non potest esse creatio: ita desitio que terminatur ad aliquid positivum, nequit esse annihilatio: Sed etiam si consecratione perfecta, nihil amplius de substantia panis & vini remaneat, eorum tamen desitio est in aliquid positivum, scilicet in corpus & san-

guinem Christi: Ergo talis substantia non desinit per annihilationem.

73 Constat: Quod transit ab uno esse in aliud, non annihilatur, annihilatio enim est transitus ab esse simpliciter ad non esse simpliciter; sicut creatio est contra est transitus a non esse simpliciter ad esse simpliciter: Sed substantia panis ita desinit per consecrationem, ut transit ab esse panis ad esse corporis Christi sub speciebus: Ergo talis desitio non est annihilatio.

74 Ex his facile solvi possunt præcipua Adversariorum fundamenta: que ad tria reducuntur. Primum sic potest proponi: Illud quod ita desinit, ut nihil prorsus ejus remaneat, annihilatur: Sed substantia panis & vini ita se habet, perfecta consecratione, non enim remanet ejus materia, neque substantia, neque existentia, ut art. 1. §. 3. ostensum est. Ergo vere annihilatur. Major probatur: Quod in nihilum cedit, annihilatur, nam terminus annihilationis est nihil: Sed illud cujus nulla pars remanet, cedit in nihilum, nam reversa nihil ejus amplius est: Ergo annihilatur.

75 Secundum est: si modo reproduceretur de novo substantia panis eadem numero que per consecrationem desinit, esset vera creatio: Ergo desitio illius, fuit vera annihilatio. Probatur Consequenter, quia iste mutatio est contraria, cum habeat terminos ad quos & a quibus contrarias.

Tertium est: Annihilatio fit per suspensionem illius actionis qua conservatur a Deo res que annihilatur: Sed substantia panis in hoc sacramento desinit esse per suspensionem actionis conservativæ, qua Deus illum conservabat: Ergo desinit esse per annihilationem.

76 Ad primum respondeo, distinguendo Majorem: Si res que ita desinit, ex modo desinit tendat ad aliquid positivum quod sibi succedat, & in quod convertatur, nego. Si non tendat, concedo. Sic enim forma substantialis non dicitur annihilari, quamvis nihil ejus remaneat post ipsius corruptionem; quia ex vi talis actionis qua corrumpitur, producit alia forma, in ejus locum succedens, & eandem materiam informans: substantia autem panis ita se habet proportionaliter, quia sic desinit esse, ut tamen ex modo desinit tendat ad aliquid id quod convertitur. Unde ad probationem Majoris dicendum est, substantiam panis esse factam nihil secundum quid, quia effectum est ut nihil ejus remanet, non esse tamen factam nihil simpliciter, quia transitus in corpus Christi: ut autem aliquid dicatur annihilari, debet transire in nihil simpliciter. Solutio est D. Thomae in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 2. ad 3. ubi ait: Quod quomodo panis non sit aliquid, tamen illud in quod conversus est panis, est aliquid, conversioe facta, & ideo non sequitur quod panis sit annihilatus. Et ad 4. dicit: Quod quomodo non maneat panis, neque in se, neque in alio, manet tamen corpus Christi in quod conversus est panis, & ideo non sequitur quod sit annihilatus.

77 Instabis: Desitio substantie panis in Eucharistia non terminatur ad corpus Christi: Ergo nulla data solutio. Consequenter patet, Antecedens probatur: Talis desitio consistit unam mutationem, positio vero corporis Christi sub speciebus aliam: Ergo cum ista terminetur ad corpus Christi, non potest illa ad ipsum terminari. Consequenter est evidens, Antecedens vero probatur. Desitio unius substantie, & positio alterius, constituunt duplicem mutationem, habent enim terminos a quo & ad quem realiter & formaliter distinctos; nam desitio habet pro termino a quo esse substantie que dicitur desinere, & pro termino ad quem non esse illius: positio vero habet pro termino a quo esse substantie que dicitur de novo poni & pro termino ad quem esse talis substantie: Sed in Eucharistia desitio panis est desitio unius substantie, positio vero corporis Christi est positio alterius substantie: Ergo in ea duplex mutatio intervenit.

78 Respondeo negando Antecedens primi & secundi Enthymematis, & ad ejus probationem, distinguo Majorem. Desitio unius substantie, & positio alterius, que non sunt per conversionem substantie que dicitur desinere in substantiam que dicitur poni, constituunt duplicem mutationem, concedo Majorem. Desitio unius substantie, & positio alterius, que sunt per conversionem substantie desinentis, in substantiam que de novo ponitur, constituunt duplicem mutationem, nego Majorem. Tunc enim constituunt unum simpliciter transitum, siue unam mutationem unius substantie in aliam, quis habent unum terminum formalem a quo scilicet non esse substantie que convertitur, & unum terminum formalem ad quem, nempe esse alterius substantie in quam fit conversio; quamvis cum esse substantie convergente concomitanter se habeat non esse substantie in quam fit conversio; & similiter cum substantia ad quam terminari debet conversio, concomitanter se habeat non esse substantie que desinit.

Ad

79 Ad secundum respondeo, negando Antecedens: nam divina omnipotentia posset eundem numero panem restituere dupliciter, scilicet per modum creationis, & per modum reconversionis, convertendo scilicet corpus Christi in ipsum, sicut ipse fuit in corpus Christi conversus: & tunc esset mutatio opposita illi qua modo fit in panem: scilicet vero si primo modo panis restitueretur.

80 Ad tertium nego Minorem, substantia enim panis non desinit esse per suspensionem solam actionis conservativæ, sed per conversionem ipsius in corpus Christi: ut enim articulo præcedenti dicebamus, ad rationem conversionis necessarium est ut inter desitionem termini a quo, & positionem termini ad quem sit alia connexio, ac proinde ut ex vi positionis termini ad quem terminus a quo desinat: & per consequens quod ex vi positionis corporis Christi desinat esse panis.

81 Ex hoc intelligas, falsam esse sententiam Suarez existimantis substantiam panis desinere per actionem qua accidentia separantur a subiecto, quia hæc spoliata accidentibus, postulat comaturaliter non manere. Patet, inquam, ex dictis hujus sententia falsitas: Nam prius intelligitur substantia panis desinere esse, quam accidentia ab illa separantur, vel per se substantiam: Ergo talis substantia non desinit esse vi actionis separantis accidentia a subiecto. Consequenter patet, Antecedens probatur; tum quia ideo accidentia a subiecto separantur, & subsistunt, quia substantia destruitur: tum etiam, quia sicut substantia per se producit, accidentia vero ratione substantie, & consequenter ad illam: sic etiam per se debet desinere, & accidentia consequenter, nisi ipsis modus per se existendi tribuatur, ut contingit in hoc mysterio.

DISPUTATIO V.

De modo qua Christus est in Eucharistia.

Ad quæst. 67. D. Thomae.

Explicata actione transubstantiatiæ, per quam corpus Christi sub speciebus panis & vini fit presens, consequens est, ut modum quo fit illis presens consideremus, & varias que circa illum versantur difficultates, breviter resolvamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ex vi verborum, quid concomitanter, sub speciebus panis & vini consistatur.

82 Licet de fide certum sit, omnia que ad Christi constitutionem & integritatem pertinent, nimirum corpus, sanguinem, animam, divinitatem, & substantiam, seu personam Verbi divini, vere & realiter sub utraque specie panis & vini contineri, ob intimam & inseparabilem quam illa inter se habent conjunctionem; quia tamen (ut docet D. Thomas hic art. 1.) dupliciter possunt aliqua in hoc sacramento contineri, uno modo ex vi sacramentali, seu ex verborum significatione; alio modo, vi naturalis connexionis, & concomitantie quam habent cum eis que sunt vi verborum, ideo breviter hic explicandum est, quanam ex illis vi verborum, & quanam solum per concomitantiam sub speciebus panis & vini continentur.

83 Dico ergo primo, corpus Christi contineri ex vi verborum sub specie panis, non vero animam, ut tribuit gradum vite, bene tamen, ut dat esse corporeum.

84 Prima pars est de fide, desinita in Tridentino sess. 13. c. 3. & patet ex eo quod hæc verba, Hic est corpus meum, corpus Christi in quod conversa est substantia panis, expresse significant.

85 Secunda vero colligitur manifeste ex D. Thomae quæst. præcedenti art. 6. ad 2. ubi sic ait. Anima est forma corporis, dante ei totum ordinem esse perfectum, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali animæ: Ergo ex D. Thomae, nomine corporis, quod ex vi verborum est sub speciebus panis, intelligi debet materia informata anima Christi quatenus dat esse corporeum.

86 Ratio etiam id suadet: Nominis enim corporis, quod ex vi verborum sub speciebus panis ponitur, non potest intelligi materia prima sine forma substantiali, affecta solum quantitate & qualitatibus sensibilibus, ut existimat Gabriel in 3. distinct. 11. quæst. 1. & in Canone Missæ latione 42. Quia materia prima non potest existere sine forma substantiali, nec proinde aliquam actionem terminare, nec vere dici corpus. Non potest etiam per corpus significari materia prima, ut affecta forma corporeitatis, ut censent Scotus, vel alia forma partiali consi-

Theol. Genes, Tom. V.

87 tuente corpus organicum, ut existimat aliqui Recentiores, qui præter animam rationalem formas partiales in homine admittunt, que constituent singulas partes corporis organici, & uni dent rationem carnis, alteri rationem ossis &c. Hoc enim fufè impugnat a nostris Thomistis in Philosophia, ubi nec formam corporeitatis, nec alias formas partiales dari ostendunt, sed in homine solum esse animam intellectivam, que virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quidquid imperfectiores forme in aliis faciunt, ut probat S. Thomas 1. parte quæst. 76. artic. 3. Ergo nomine corporis, quod ex vi verborum est sub speciebus panis, nihil aliud intelligi potest, quam materia informata anima, quatenus dat esse corporeum, subindeque anima Christi, ut dat illi esse corporeum, ex vi verborum sub speciebus panis continetur, non tamen ut dat esse vivens, seu ut gradum vite tribuit; quia corpus Christi, prout ex vi verborum est sub speciebus panis, abstrahit a vivo & mortuo, cum idem sit formale significatum corporis nunc, ac fuisse in triduo mortis.

88 Dices primo: Eadem est anima que dat esse corporeum, & que dat esse vivens: Ergo repugnat quod anima Christi, quatenus dat esse corporeum, sub speciebus panis ex vi verborum ponatur, nisi etiam ut gradum vite tribuit sub illa pariter ex vi verborum existat.

89 Sed nego Consequentiam: licet enim eadem sit anima, que dat esse corporeum, & que tribuit esse vivens & animatum, rationes tamen & virtualiter distinguuntur secundum quod dat esse corporeum, a seipsa, secundum quod dat esse animatum, a seipsa, sicut dicitur ad hoc ut sub speciebus panis ex vi verborum ponatur, prout dat esse corporeum, & non secundum quod dat esse vivens & animatum; sicut similis distinctio que reperitur inter Filium & divinam essentiam, & inter substantiam Verbi & naturam divinam, sufficit ad hoc ut Filius generetur & producat a Patre, non vero divina essentia, & ut substantia Verbi primario terminet humanitatem assumptam, non vero natura, vel existentia ejus, ut in Tractatu de Incarnatione ostendimus.

90 Dices secundo: illud ponitur ex vi verborum, quod necessarium est ad veritatem ipsorum: Sed ad veritatem horum verborum, Hic est corpus meum, necessaria est anima, ut tribuit gradum vite: Ergo ponitur sub illa ratione, ex vi verborum, & non solum prout dat esse corporeum. Major patet, Minor probatur. Ad veritatem verborum necessarium est, ut sit idem corpus, quod Christus habebat, quando illa verba protulit: Sed non potest esse idem, nisi sit anima formaliter ut talis, & ut tribuit gradum vite: Ergo &c. Major est evidens, nam ad veritatem forme necessarium est, ut sit vere corpus Christi: si autem non esset idem corpus, non esset corpus Christi, sed aliud compositum. Minor vero suadetur: Non potest esse idem, nisi sit illa forma quam habebat corpus Christi, quando protulit verba, quia pro diversitate forme substantialis variatur corpus: Sed forma quam habebat Christus, quando illa verba protulit, erat ipsa anima, non solum ut dat esse corporeum, sed etiam ut gradum vite tribuit: Ergo, &c.

91 Respondeo negando Minorem, & ad probationem illius, distinguo Majorem. Ut sit idem corpus quod Christus habebat, identitate suppositi, ut scilicet habeat eandem substantiam & existentiam, concedo. Identitatem forme substantialis præcise, nego. Corpus autem Christi vivum & mortuum, est idem identitate suppositi, quia semper terminatur substantia & existentia divina.

92 Ex dictis inferes, quod quando dicitur corpus Christi esse ex vi verborum sub speciebus panis, sub nomine corporis, non comprehenduntur quantitas, figura, & alia accidentia, que a gradu corporeitatis dimanant; hæc enim tantum concomitanter ponuntur sub illis speciebus, sed sola substantia corporis Christi, quia hæc sola potest esse terminus formalis & primarius transubstantiationis.

93 Dices, Corpus quod vi verborum est sub speciebus panis, est organicum: At hoc, præter substantiam, includit debitam proportionem membrorum, que sine certa figura, densitate, & raritate concipi nequit: Ergo illa accidentia ex vi verborum ponuntur sub specie panis.

94 Propter hoc argumentum putat Vasquez disput. 187. cap. 4. quantitatem & alia multa accidentia, esse ex vi verborum sub specie panis. Verum hoc est expresse contra S. Thomam, & reliquos Scholasticos, nec salvat naturam transubstantiationis, que est conversio substantie in substantiam, ut eam desinit Trident. sess. 13. cap. 4. Unde ad argumentum responderet, distinguendo Majorem: Corpus quod vi verborum est sub speciebus panis, est organicum, organizatione radicali, concedo Majorem; organizatione formali, nego Majorem, & sub eadem

L. 2

disfin.

distinctione Minoris, nego Consequentiam. Duplex ergo distinguenda est organizatio, altera radicalis, & substantialis. quae est a forma substantia exigente diversis dispositionibus accidentibus, altera formalis, & accidentalis, quae est a quantitate, figura, & aliis accidentibus, quorum est effectus. Prior est vi verborum sub specie panis, posterior vero solum concomitantem, & vi naturalis connexionis.

9. Dico secundo, Sanguinem Christi contineri ex vi verborum sub specie vini. Hac conclusio eadem ratione probatur qua praecedens; sicut enim corpus Christi continetur ex vi verborum sub specie panis, quia haec verba, *hoc est corpus meum*, corpus Christi in quod conversa est substantia panis, expresse significant: ita etiam cum ista, *hic est calix sanguinis mei*, sanguinem Christi non minus expresse denotent, continetur etiam ille ex vi verborum sub specie vini.

10. Quaes, an totus sanguis Christi sit vi verborum sub specie vini, vel ille solum qui fuit in passione effusus? videtur enim quod ille tantum ex vi verborum sub specie vini continetur, cum hic tantum exprimitur in forma consecrationis: *Qui pro vobis effundetur*.

Respondet tamen totum sanguinem qui nunc est in corpore Christi glorioso, etiam si non fuerit in passione effusus, esse ex vi sacramenti sub speciebus vini. Nam illa verba, *Qui pro vobis effundetur*, non limitant praedictam ad significandum solum sanguinem qui fuit in passione effusus, sed ad exprimentum primum finem huius sacramenti, qui est representatio passionis Christi, ut si Christus converterisset aquam in vinum, his verbis, *hoc est vinum quod a vobis bibitur*, posteriora verba non limitarent priora ad potandum solum aquam in vinum, quod fuisse ab illis potandum, sed tantum ad debotandum finem miraculi, esse non totum vinum fuisse ab illis potandum.

Confirmatur. Aliquis sanguis fuit sacramentaliter praesens sub speciebus vini in coena, qui non fuit in passione effusus, namque ille qui ante passionem fuit in carnem conversus: Ergo ad verificanda verba consecrationis calicis, non est necesse quod totus sanguis fuerit in passione effusus.

11. Dico tertio, animam rationalem Christi esse in hoc sacramento, non ex vi sacramenti, aut verborum, sed per concomitantiam. Ita docet Tridentinum sess. 13. can. 3. ubi asserit animam Christi sub utraque specie existere, *vi naturalis illius connexionis & concomitantiae, qua partes Christi Dominum inter se copulantur*.

Ratio etiam id suadet: Nam ut hic art. 1. ait D. Thomas: *Ex naturali concomitantia est in hoc sacramento illud quod realiter est conjunctum et in quod praedicta conversio terminatur*: Sed anima rationalis Christi est realiter conjuncta corpori & sanguini Christi in qua conversio panis & vini terminatur, & qua per verba forma significatur; in ipsam vero non terminatur hac conversio, nec ipsa per verba significatur: Ergo in hoc sacramento non est ex vi sacramenti, aut verborum, sed solum per concomitantiam. Quod intelligendum est primo de anima rationali, ut tribuit gradum vitae, nam ut det esse corpore, ex vi verborum ponitur sub specie panis, ut in prima conclusione declaravimus. Secundo, cum dicitur animam rationalem Christi, ut tribuit gradum vitae, esse per concomitantiam in hoc sacramento, hoc verificatur solum, quando contingit corpus Christi in propria specie informari anima rationali: si enim informaretur alia, ut in triduo mortis forma cadaveris, non poneretur anima rationalis, etiam concomitantem, sub speciebus Eucharisticis, sed ipsa forma cadaveris. Quod adeo verum est, ut si Apostoli consecrasset ante triduum mortis, subindeque anima rationalis concomitantem fuisset postea sub speciebus panis & vini, tamen in triduo mortis non fuisset amplius anima rationalis sub illis, sed forma cadaveris; & e contra, si in triduo mortis Apostoli consecrasset, fuisset sub speciebus Eucharisticis forma cadaveris, & post resurrectionem cessasset esse sub illis forma cadaveris, & fuisset anima rationalis; quia quod sit haec vel illa forma, oritur ex statu & forma quam corpus Christi habet in propria specie.

12. Dico quarto, sub specie vini corpus, & sub specie panis sanguinem, & sub utraque specie divinitatem, in hoc sacramento contineri, non ex vi verborum, sed per concomitantiam. Ita Tridentinum loco citato.

Probatur breviter: Corpus non significatur per verba consecrationis vini, nec sanguis per verba consecrationis panis, nec divinitas per verba consecrationis utriusque; corpus tamen est realiter conjunctum cum sanguine, & sanguis cum corpore, & divinitas cum utroque: Ergo non ex vi verborum, aut sacramenti, sed praedictis speciebus continentur, bene tamen per concomitantiam.

13. Dico quinto, Verbum non esse in hoc sacramento vi verborum, sed concomitantem.

Colligitur ex Tridentino citato, docente divinitatem esse hic propter admitabilem illam ejus cum corpore &

animam unionem hypostaticam: At ea tantum sunt vi verborum, quae per se, & non propter connexionem cum aliis, sunt hic praesentia: Ergo, &c. Quod autem per divinitatem intelligat etiam personam Verbi, constat. Tum quia alias doctrina Concilii esset manca, traderet enim universalem regulam discernendi ea quae in hoc sacramento sunt vi verborum, & quae sunt vi naturalis concomitantiae; & tamen si per divinitatem solum intelligeret naturam divinam, nihil docuisset de Persona Verbi. Tum etiam, quia assignans rationem hujus concomitantiae, ait esse unionem hypostaticam, quae primario est ad Verbum.

Probatur etiam conclusio ratione: Nam Verbum Divinum est quidem realiter unitum corpori & sanguini Christi, sed in ipsum non convertitur panis aut vinum, nec per verba consecrationis expresse & in recto significatur: Nam licet D. Thomas infra qua. 73. art. 2. ad 4. dicat: *Per hoc pronomen meum exprimitur persona Christi*, hoc intelligendum est in obliquo: Ergo verbum Divinum est quidem in hoc sacramento per concomitantiam, non tamen ex vi sacramenti; nam quod hoc modo in eo continentur, debet in recto significari, sicut significatur corpus & sanguis.

14. Dices, Quod ponitur in hoc sacramento concomitantem, debet fieri per virtutem verborum, quia attingitur primario vel secundario ab actione consecratoria seu conversiva, quae est vera productio: Sed Persona Verbi nequit fieri ex virtute verborum, ut constat: Ergo neque per concomitantiam esse in hoc sacramento.

Respondet quod ea quae continentur in hoc sacramento per concomitantiam, sunt in duplici differentia: quaedam enim sunt improductibilia ut Divinitas & Verbum, & haec nullo modo sunt per verba; sed cum sint ubique, & ex alia parte terminent unionem hypostaticam, per hoc praesens incipiunt esse hic novo modo, quod corpus aut sanguis Christi producit per actionem consecratoriam: alia vero sunt producibilia, & haec sunt per virtutem verborum, vel primario, si primario significentur; vel secundario, si identificentur aut realiter conjungantur cum effectu primario.

Supereff examineandum, an reliquae personae divinae dici possint esse in hoc sacramento concomitantem. Afferunt Suarez, Vasquez, Delugo, & alii Recentiores, qui docent, Verbum esse in hoc sacramento per concomitantiam immediatam, ut proprium suppositum humanitatis, Patrem vero & Spiritum sanctum per concomitantiam mediatam propter connexionem naturalem quam habent cum Filio in eadem natura divina. Negant autem Alvarez, Petrus Ledesma, Nunno, Aravus, Serra, Martinez de Prado, & alii Thomistae communiter, existimantes concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini, solum Verbo convenire, non vero Patri, aut Spiritui sancto.

Hanc quaestionem puto de nomine. Omnes enim conveniunt, Patrem & Spiritum sanctum esse quodammodo speciales in Eucharistia, quo non sunt in ceteris rebus creatis: tum quia simul cum Filio assistunt ibi ad operandos effectus mirabiles gratiae: tum etiam, quia Pater & Spiritus sanctus speciales quodammodo existunt in Filio propter divinarum personarum inseparabilitatem, & mutuum unius in altera existentiam, quam Graeci *συνδικευσιν*, Latini, *Circuminsessionem* appellant. Unde si per impossibile Pater & Spiritus sanctus, ratione immensitatis, non essent in omnibus rebus creatis, tamen hoc duplici titulo essent in Eucharistia sacramento. In hoc, ut dixi, omnes conveniunt, quare ad hoc solum difficultas devolvitur, an praesentia illa specialia quam Pater & Spiritus sanctus habent in Eucharistia, sufficiat ad concomitantiam sacramentalem? Hoc enim affirmant Suarez, Vasquez, & alii Recentiores, negant vero Thomista, existimantes ad hoc ut per concomitantiam sit aliquid in hoc sacramento, requiri ut in unitate suppositi uniatum cum termino primario & formali conversionis, & cum illo constituat vel pertineat ad idem suppositum: propter hoc enim vestimenta Christi quando ipse consecravit, non continentur per concomitantiam in hoc sacramento, bene tamen ejus divinitas, & anima, & accidentia. Unde cum Pater & Spiritus sanctus, non continentur hoc modo cum corpore & sanguine Christi, non continentur in Eucharistia per concomitantiam sacramentalem. Et hic modus dicendi & loquendi videtur magis proprius, & Concilio Tridentino magis consonus: ideo enim Concilium dicit, Divinitatem esse in sacramento per concomitantiam, quia est unito hypostaticae cum corpore & anima Christi. Ergo fundat concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini in unionem hypostaticam, quam habent Verbum & Divinitas cum humanitate, non vero Pater, aut Spiritus sanctus. Quare idem Concilium enumerans omnia quae in hoc sacramento tam ex vi sacramenti, quam per concomitantiam continentur, nullam facit mentionem Patris aut Spiritus sancti. Quod argumentum, licet

licet sit negativum, in re tamen adeo gravi, magni debet esse ponderis, & momenti, aliquo Concilio dimittente processisset: Nec valet si dicas, Concilium etiam personam Verbi non fecisse mentionem. Adhuc enim supra respondimus, sufficienter illum insinuasse, cum assignans rationem hujus concomitantiae, ait esse unionem hypostaticam, quae primario est ad Verbum, & nullo modo ad Patrem, vel Spiritum sanctum. Unde sicut conexio quam media natura divina natura & Spiritus sanctus habent cum persona Verbi, non sufficit ut dicantur mediate terminare unionem hypostaticam, incarnari, concipi, nasci, mori, &c. Ita nec sufficiens est, ut dicantur esse per concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini.

Id confirmat Martinez de Prado, ex eo quod Eucharistia non solum habet rationem sacramenti, sed etiam sacrificii, immo est idem cum sacrificio crucis, sola offerendi ratione diversa, ut docet Tridentinum: Sed solus Filius dei potest in altari offerri, & sacrificari, non vero Pater vel Spiritus sanctus: Ergo pariter solus Filius dici potest in Eucharistia sacramentaliter contineri, non vero Pater, aut Spiritus sanctus.

ARTICULUS II

An corpus Christi sit in hoc sacramento cum sua quantitate, utique existat sub quavis parte specierum, etiam ante fractionem, immo & sub quolibet indivisibili hostiae consecratae?

18. Urandum, Major, & Gabriel probabile existimant Christum esse in hoc sacramento sine propria quantitate, cum in eo careat extensione partium, quam partem esse de essentia quantitatis. Altiorensis vero lib. 4. summe tract. 5. cap. 4. concedit quidem totum Christi corpus esse actu in tota hostia indivisa, dicit tamen non esse totum in singulis partibus, etiam separatim sensibilibus, ante divisionem earum a toto, nisi in potentia, quae reducitur ad actum (inquit) per divisionem, non tamquam per causam, sed tamquam per conditionem sine qua non: ad eum modum quo tota imago Petri in singulis partibus speculi ante ejus fractionem potentialiter solum existens, fit actualiter existens sub illis; divisione speculi facta. Eadem sententia tribuit Alberto Magno in 4. dist. 13. art. 11. sed immerito, ut constat ex resp. ad 2. ubi admittit, eodem modo Christum esse in forma consecrata, sicut anima est in corpore, tota in toto, & tota sub quavis parte. Aleris autem negavit totum Christum corpus contineri sub illis particulis hostiae, quae separatae a toto non essent sensibiles, nec retinerent formam substantialem panis. Desuper quoad indivisibilia tam continuativa, quam terminativa hostiae, Scotus, Richardus, Agidius, & Vasquez, negant totum Christi corpus sub illis existere.

S. I.

Referuntur omnes ille sententiae, & communis ac vera sententia.

19. Dico primo: Corpus Christi est in sacramento Eucharistiae cum sua quantitate. Probatur primo: Ideo ex Tridentino sess. 13. can. 3. corpus Christi est in sacramento Eucharistiae cum sua anima & sua divinitate, quia haec habent connexionem realem cum suo corpore: Sed etiam quantitas corporis Christi, realem habet cum eo connexionem: Ergo corpus Christi est in sacramento Eucharistiae cum sua quantitate.

20. Probatur secundo: Si corpus Christi esset in Eucharistia sine sua quantitate, existeret ibi absque ordine, decore, & recta dispositione membrorum, consulum & monstrorum; pulchritudo enim corporis non est sine quantitate, cum supponat figuram, quae est terminus quantitatis: Similiter sublata quantitate, nec ordo partium, nec partes superfluent: Consequens autem admittere, videtur indecens: Ergo, &c.

21. Dico secundo: Corpus Christi in Eucharistia existit totum & actu, sub singulis partibus sensibilibus hostiae, non solum separatim, sed etiam conjunctis.

Prima pars hujus conclusionis, quod scilicet corpus Christi in Eucharistia sit totum & actu sub partibus sensibilibus hostiae inter se divisis, est certa de fide, ac definita in Florentino in decreto unionis; in Trid. sess. 13. can. 3. & constat ex factis Christi, qui consecravit calicem Lucae 22. dedit Discipulis, dicens: *Accipite, dividite inter vos*, quod necessario supponit in singulis speciebus separatim fuisse totum Christum; alioquin singuli partem calicis sumerent, non totum Christum sumpsissent.

22. Secunda vero, quae asserit totum Christi corpus sub singulis partibus hostiae conjunctis, actu existere, probatur primo. Eo modo corpus Christi est sub singulis partibus sensibilibus hostiae consecratae, ante divisionem, quo

substantia panis ante consecrationem erat sub illis. Sed ante consecrationem substantia panis erat tota & actu in singulis partibus hostiae: Ergo Christi corpus similiter sub eis facta consecratione existit. Minor est certa, in hoc enim consistit ratio essentialis substantiae homogeneae, qualis est substantia panis, quod sit actu tota in toto, & tota in singulis partibus, etiam nondum divisis. Major vero probatur: Cum Christus existat in Eucharistia, per conversionem substantiae panis in ipsum, succedit loco ejus in munere & officio: Ergo debet habere eum modum praesentiae, & existentiae sub quantitate, alii quae panis accidentibus, quem substantia panis ante consecrationem sub illis habebat.

23. Probatur secundo eadem pars: Facta specierum consecrationum divisione, totum Christi corpus continetur actu sub qualibet parte sensibili & divisa hostiae, ut fides docet: Ergo & ante divisionem. Consequentia probatur, quia sola fractio & divisio specierum, non mutat consecrationem, nec valet ponere Christi corpus ubi antea non erat.

Si dicas cum Altiorensis, specierum divisionem esse conditionem sine qua totum Christi corpus non existit actu sub singulis partibus earum, sicut fractio speculi est conditio sine qua imago Petri non existit actu in qualibet parte ipsius. Nego paritatem: Rationem disparitatis dat D. Thomas hic art. 3. in corp. quod cum ratio imaginis in speculo representata; proveniat ex reverberatione superficies speculi, tanquam a causa; quemadmodum fractio speculi sunt divisae superficies partium, ita & diversae reflexiones sive reverberationes earum, atque adeo plures actu imagines: at vero ratio existentiae actualis corporis Christi sub speciebus panis, cum a sola consecratione tanquam a causa proveniat; sicut divisio specierum illarum non variat consecrationem, ita nec praesentiam actualem quam corpus Christi sub illis habebat ante divisionem.

25. Probatur tertio: Signata quarta parte v.g. hostiae consecratae, & nondum divisa, quero, aut in illa quarta parte est aliquid corporis Christi, vel nihil? Si nihil, sequitur primo quod illa pars non sit consecrata, secundo quod neque etiam in aliis partibus hostiae sit aliquid corporis Christi; cum non sit major ratio de ipsis, quam de illa quarta parte signata, & sic nihil corporis Christi erit in tota hostia, quia nihil potest esse in toto, nisi sit in partibus ejus. Quod si dicatur, aliquid corporis Christi esse sub illa quarta parte hostiae non divisa, vel in ea est totum, & sic habemus totum; vel aliqua pars ejus, v. g. quarta pars; & tunc sequitur quod corpus Christi sit in Eucharistia commentative, & circumscriptive, quod tamen est fallum; quia quod est majus in quantitate, non potest contineri adequate & circumscriptive a minori: quantitas autem quartae partis corporis Christi, longe major est quantitate quartae partis hostiae.

Dico tertio, totum Christi corpus contineri sub illis particulis hostiae, quae separate a toto non essent sensibiles, nec retinerent formam substantialem panis.

26. Probatur primo ex fundamentis iam statutis. Sub partibus minimis hostiae, quae essent insensibiles, si separarentur a toto, illis, inquam, ut toti hostiae conjunctis, conservabatur actu ante consecrationem tota natura & substantia panis: Ergo sub eis est etiam actu totus Christus, facta consecratione. Consequentia patet, nam totum corpus Christi est actu in Eucharistia, ubicumque antea erat actu tota substantia panis. Antecedens autem a nemine negatur, quia licet illa particula a suo toto separate, essent insensibiles, & consequenter substantia panis sub eis non remaneret, suo tamen toti conjunctae sunt sensibiles, in quantum scilicet componunt partes majores quae sunt intra sphaeram activitatis sensuum.

27. Probatur secundo: Si totum Christi corpus non sit actu sub qualibet particula hostiae, etiam minima, & ex se precise sensibus imperceptibili, sequitur totum Christi corpus non esse actu etiam in tota hostia, si enim non sit actu & totum in aliqua parte minima, cum non sit major ratio de illa, quam de alia etiam minima sibi conjuncta, non erit etiam in illa, & ita de omnibus aliis. Ergo nec in partibus majoribus, utpote quae componunt solum ex illis minimis, ut unitis. Ergo nec erit actu totum in tota hostia, quia, ut jam dixi, impossibile est quod aliquid sit totum in toto, & non sit in partibus.

Dico quarto: Corpus Christi totum contineri sub quolibet indivisibili hostiae consecratae tam continuativo, quam terminativo.

28. Probatur breviter: Ante consecrationem substantia panis, vel saltem aliquid ipsius, erat sub quolibet indivisibili suae quantitates: Ergo cum ex una parte aliquid corporis Christi non possit esse sub illis indivisibilibus, quin totum sub eis existat, quia ponitur in sacramento modo indivisibili, ex alia vero succedat substantia panis in modo essendi sub speciebus consecratis, debet totum sub cunctis indivisibilibus contineri. Consequentia patet.

Antecedens vero probatur. Quodlibet indivisibile quantitatis est accidens, atque adeo substantia panis inheret: Ergo aliquod substantia panis existit sub eis ante consecrationem.

39 Confirmatur: Vel singulis indivisibilibus hostie consecratae correspondebat ante consecrationem aliquod de substantia panis, vel nihil? Si nihil: Ergo substantia panis erat sub sua quantitate discontinua & divisa, & consequenter substantia corporis Christi panis succedens, erit similiter sub quantitate panis discontinua & divisa, quod est absurdum. Si vero aliquid de substantia panis ante consecrationem correspondebat indivisibilibus suae quantitati, quodcumque illud sit, sive indivisibile substantiae suae, sive pars ejus dicatur, sequitur indivisibile corporis Christi, panis succedentis, existeret sub indivisibili quantitate panis quae remanet, & consequenter totum etiam Christi corpus, utpote cum sub quantitate hostie indivisibiliter existat, ad modum substantiae spiritualis.

§. II.

Solvantur objectiones.

30 Obijcies primo contra primam conclusionem: Quantitas non potest separari ab extensione partium, cum ratio essentialis illius, sit extensio & divisibilitas: Sed corpus Christi in Eucharistia est sine extensione: Ergo & sine sua quantitate.

31 Respondeo duplicem distingui debere in quantitate extensionem, alteram in ordine ad se, alteram in ordine ad locum. Prior consistit in continuatione & extensione partium in se, ut una immediate continuetur uni, & mediate ceteris: caput enim immediate continuatur collo, neque mediante, pectori, ceterisque corporis partibus. Posterior in situatione & extensione partium, in ordine ad spatium, ut una pars corporis correspondeat uni, alia alteri parti ipsi. Prior est essentialis, & inseparabilis a quantitate, & in eodem predicamento cum quantitate. Posterior accidentalis, & separabilis, & in predicamento sita. Illa est principium & radix hujus, hac effectus & passio illius; unde potest illa sine hac, non autem hac sine illa repetiri. Potuit igitur a quantitate corporis Christi separari posterior, manente prioris, & consequenter manere effectus formalis prioris extensionis, absque effectu formali posterioris.

32 Confirmatur: Non minus de ratione quantitatis est, reddere substantiam impenetrabilem cum alio corpore, quam loco extensum: Sed potest privari primo, ut constat in Christo ad discipulos ingresso, panis clausi. Ergo & secundo.

Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Si totum Christi corpus sit actu sub singulis partibus hostie, nondum divisa, erit actu plures, immo & infinitas, sub qualibet hostie consecrata, per plures & infinitas actu praesentias totales: Consequens est falsum, immo impossibile, cum infinitum actu dari non possit. Ergo & Antecedens: Sequela Majoris probatur: In qualibet hostia sunt plures actu, immo & infinitae partes proportionales: Ergo fit in qualibet earum fit actu totum Christi corpus, sequitur quod fit plures, immo & infinitas totum in Eucharistia.

33 Respondeo negando sequelam Majoris, & distinguendo ejus probationem. In qualibet hostia sunt actu plures, immo & infinitae partes proportionales, singula propriae existentiam habentes, & simul numerum simpliciter dictum constituentes, nego Antecedens. Sunt actu infinitae partes proportionales, unica existentia existentes, & numerum simpliciter dictum solum in potentia facientes, concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Solutio est D. Thomae hic art. 3. ad 1. ubi sic ait: Numerus sequitur divisionem, & ideo quantumvis quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est plures sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis; & per consequens neque infinitas, sed toties in quot partes dividitur.

34 Obijcies tertio contra tertiam conclusionem. In iis tantum partibus hostie conservatur totus Christus, quae separata ipsum totum conservarent: Sed partes separatae quae non essent sensibiles, nec formam substantialem panis reinerent, Christum non conservarent: Ergo in illis ut conjunctis totus Christus non conservatur.

35 Respondeo negando Majorem, nam cum Christus in hoc sacramento succedat loco panis, in iis partibus specierum succedit: sub quibus conservari potest substantia panis: quamvis autem illa conservari non possit in partibus separatis hostie, si non essent sensibiles, in illis tamen, ut inter se conjunctis, substantia panis conservari potest. Unde ait Magister Soto in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. Quamvis separata minima parte, si illa divideretur, destrueretur esse corpus, quia destrueretur species panis: tamen in toto, quia conservatur illic species, non datur tam parva pars, quia sub quaestione minor sit corpus.

Obijcies quarto contra quartam conclusionem: Corpus Christi non est nisi ubi erat substantia panis: Sed haec non erat in puncto, ubi erat corporea, ac proinde triam dimensionem sub qua esset requirebat: Ergo nec corpus Christi.

Respondent aliqui, in substantia panis, & qualibet alia corporea, dari etiam indivisibilibus substantialem, correspondentia indivisibilibus terminantibus quantitatem, sicque corpus Christi esse sub indivisibilibus quantitativis, sub quibus erant indivisibilibus substantialis panis, nam haec in corpus Christi conversa fuerat.

Sed melius respondetur, negando Minorem, nam quamvis substantia corporea sit capax triam dimensionis, secundum se tamen, & intra propriam lineam, est indivisibilis, ut fusa & lato calamo ostendunt Complutenses in libris de generatione & corruptione, sicque non solum est sub partibus quantitatis, sed etiam sub punctis, & aliis ejus indivisibilibus. Dicit etiam potest, juxta aliam sententiam, quae docet substantiam intra propriam lineam habere partes entitativas & substantiales, hoc inter substantiam panis & corpus Christi reperiri discrimen, quod substantia panis est entitativa divisibilis, & modo divisibili sub propriis dimensionibus, subindeque incapax existendi sub indivisibilibus quantitativis, corpus autem Christi, licet divisibile, est tamen sub speciebus modo indivisibili, & propterea capax ut sub puncto & aliis indivisibilibus quantitativis existat.

Obijcies quinto: Si totum Christi corpus, consecratione facta, sit sub qualibet indivisibili hostie consecrata, sequitur quod Sacerdos poterit consecrare solum superficiem, vel solum punctum in aliqua hostia, utpote cum punctum ratione lineae, & linea ratione superficiei, & superficies ratione corporis, sit sensibilis, atque adeo designabilis: Sacerdos autem potest consecrare quamlibet partem hostie sensibilem, & designabilem, non consecratis aliis. Consequens videtur absurdum: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam Majoris, plus enim requiritur ut a principio fiat consecratio, quam ut consecratione facta conservetur corpus Christi: nam ut a principio fiat consecratio, requiritur materia per se sensibilis, puncta autem, linea, & superficies, non sunt per se sensibilia, sed ut in objectione dicitur, punctum est sensibile solum ratione lineae, linea ratione superficiei, & superficies ratione corporis: unde a principio non potest in eis fieri consecratio, nisi fiat simul in corpore: ut vero quando fit in corpore, etiam fit in illis, & consequenter etiam in illis saltem, ut unitis, conservari potest Christi corpus.

Dices, Ego non possit Sacerdos consecrare solum punctum, vel superficiem hostie, potest tamen determinate consecrare unam tantum medietatem hostie, cum linea aut superficiei, ipsam cum altera medietate continuante, & cum illa linea, vel superficiei, non magis sit unius medietatis, quam alterius, sequitur ex nostra doctrina, quod sub illa linea, vel superficiei, existit formal corpus Christi & substantia panis: Consequens vero non potest admitti, alias corpus Christi non esset sub illa linea, vel superficiei, per transubstantiationem: Ergo, &c.

Respondeo negando sequelam: in illo enim casu substantia panis destrueretur esse sub superficiei illa sive linea consecrata, & consequenter medietas hostie consecrata, non foret amplius continua, sed contigua solum medietati non consecratae, quamvis apparet ipsi continua, eo fere modo, quo medietas rami arida & mortua, alteri viridi & vivae conjuncta, ad sensum apparet ipsi continua, cum tamen revera solum sit ei contigua.

Obijcies ultimo: Si corpus Christi sub qualibet indivisibili hostie consecrata continetur, sequitur quod facta divisione hostie consecrata, corpus Christi incipiat de novo existere ubi antea non erat, idque absque nova consecratione: At hoc non videtur admittendum: Ergo nec illud. Sequela probatur: Quando dividitur hostia in duas partes, ex tali divisione producuntur puncta, lineae, & superficies, de novo illas duas medietates hostie terminantes: Ergo fit totum Christi corpus existit sub qualibet indivisibili hostie consecrata, facta illius divisione, erit de novo ubi antea non erat, absque nova consecratione.

Quidam ex nostris Thomistis, ut ab hac difficultate facilis se expediant, negant sequelam Majoris, & ad ejus probationem dicunt, doctrinam nostrae ultimae conclusionis intelligendam esse locum de illis indivisibilibus quae aderant, dum facta fuit consecratio, non vero de aliis quae ad partium divisionem postea resalant. Quare docent divisa hostia in duas medietates, corpus Christi non existere sub illis punctis, lineis, & superficiei, quibus de novo terminantur illae duae medietates hostie consecratae. Alii vero dicunt, quod licet per solum divisionem, sine nova consecratione, non possit corpus Christi per se primo incipere esse ubi antea non erat, bene tamen consecutive, sive per naturalem resalantiam.

Sed

45 Sed melius responderi potest, negando sequelam Majoris, & Antecedens probationis illius: nam per divisionem hostie non producuntur de novo in ea aliqua indivisibilia; sed ea solum quae ante fractionem hostie actu continuabant partes illius, & eas terminabant solum in potentia, sunt actu terminatae partes quae de novo per divisionem resalant. Unde cum corpus Christi, ex vi prioris consecrationis, esset sub omnibus indivisibilibus quae partes hostie continuabant, non sequitur quod per divisionem hostie consecratae, incipiat de novo existere in aliquibus indivisibilibus in quibus antea non erat, idque absque nova consecratione, sed solum quod cum ante divisionem hostie consecratae esset in indivisibilibus aut continuantibus partes illius, postea existat in ejisdem indivisibilibus, ut terminantibus partes quae per divisionem hostie consecratae resalant.

ARTICULUS III.

Quid sit praesentia sacramentalis corporis Christi in Eucharistia, & ad quod predicamentum pertinet?

46 DE fide certum est corpus Christi vere, realiter, & substantialiter, post consecrationem esse praesens sub speciebus, ut desinit Tridentinum sess. 10. cap. 1. & nos supra disputatione proemiali, pluribus scriptura, Concilio, & SS. Patrum testimoniis, contra Calvinistas ostendimus. Verum quid sit haec praesentia sacramentalis, & ad quod predicamentum pertinet, difficile explicari potest: unde circa hoc varia sunt Auctorum placita. Aliqui enim asserunt, talem praesentiam esse relationem extrinsecam advenientem, ex eo quod totum illius esse est ad aliud se habere, scilicet contineri a speciebus. Ita Scotus & ejus Discipuli. Alii censent praesentiam sacramentalem esse actionem reproducentem corpus Christi sub speciebus. Alii volunt esse actionem quam Christi corpus exercet in species ut instrumentum physicum divinitatis, eas conservando, & in suo esse continendo, existimant enim talem praesentiam esse similem illi quam Angelus habet ad corpora, quae formaliter consistit in actione, qua Angelus continet corpora. Ita docent quidam Recentiores, quos, suppresso nomine, citant Suarez, & Nunno. Alii, ut Suarez, & Aravus dicunt praesentiam illam esse modum quemdam accidentalem, ad predicamentum ubi reducendum. Denique Nunno, & alii Recentiores Thomistae, concedunt quidem talem praesentiam esse modum quemdam corpori Christi superadditum, sed asserunt illum non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque reductive pertinere ad predicamentum substantiae, non vero ad predicamentum ubi.

§. I.

Prima pars quaestio triplici conclusione resolvitur.

47 DEO primo: praesentia sacramentalis, non est formaliter relatio.

Conclusio est omnino certa; Tum quia effectus formalis relationis non est reddere subiectum in quo est praesens alicui, sed relatum & dicens ordinem ad illud. Tum etiam, quia cum omnis relatio praesupponat aliquod fundamentum, relatio propinquitatis & praesentia quam dicit corpus Christi ad species, aliquod fundamentum in ipso supponere debet, quod non potest esse aliud quam ipse modus praesentiae; unde licet praesentia sacramentalis sit fundamentum relationis propinquitatis & praesentia corporis Christi ad species, non est tamen formaliter ipsa relatio. Sicut licet praesentia localis quam idem corpus Christi habet in calice, importet relationem propinquitatis & indistantiae corporis Christi ad calicem, in ea tamen relatione formaliter non consistit, sed in ubi quod in eo resultat ex circumscriptione seu circumadjacentia loci.

Dico secundo corpus Christi non fieri formaliter praesens speciebus Eucharisticis, per conversionem substantiae panis in ipsum, vel actionem aliquam qua conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet.

48 Prima pars patet, quia effectus formalis actionis productivae, non est continere terminum in loco, sed solum communicare illi esse: Ergo licet actio conversa substantiae panis in corpus Christi, det illi esse sacramentalem sub speciebus, non tamen est ipsa praesentia sacramentalis, sed solum causa & fundamentum illius.

49 Secunda vero pars suadet: Corpus Christi cum sit ex se divisibile, & constituitur positive indivisibiliter sub speciebus, constituitur debet per aliquid in se receptum: Sed actio instrumentalis qua corpus Christi conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet, cum sit transiens, non est in corpore Christi, sed in passio, scilicet species quae conservantur: Ergo per illam corpus Christi non potest constitui formaliter praesens speciebus.

Theol. Genet. Tom. V.

Eucharisticis. Praeterquam quod valde incertum est, an corpus Christi assumatur a Deo ut instrumentum ad conservandas tales species.

Dico tertio, praesentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse modum aliquem additum corpori Christi, supernaturalem quoad substantiam.

50 Probatur prima pars: Corpus Christi esse indivisibiliter praesens sub speciebus, est effectus realis de novo in ipso corpore, qui antea non erat: Ergo debet provenire ab aliqua forma illi addita: Non realiter distincta, quia necessaria non est: Ergo moraliter tantum. Antecedens est certum, prima vero consequentia in qua solum potest esse difficultas, ex eo probatur quod impossibile sit aliquid alio modo se habere nunc quam antea, nisi per aliquam sui mutationem, subindeque per alicujus entitatis vel modi receptionem.

51 Secunda vero pars, quae asserit modum illum praesentiae sacramentalis, substantiae Christi supernaturaliter esse supernaturalem quoad substantiam, patet: Tum quia nulli substantiae creatae vel creabili potest esse connaturalis: Tum etiam, quia est modus substantiae corporeae, & quantitativae, & tamen facit existere corpus Christi indivisibiliter. Addo quod est modus resultans ad actionem maxime supernaturalem, nempe transubstantiationem; & est quaedam imitatio & participatio divina immitantia: quia sicut Deus ratione suae immensitatis, nullo loco definitur aut limitatur: ita corpus Christi per praesentiam sacramentalem, ita & in una hostia, & in uno altari, quod non definitur & limitatur ut non fit in aliis, quin potius in infinitis synecategorematicis, reperiri potest, cum virtus Dei convertentis panem in ipsam, infinita sit.

§. II.

Alia dissentias expediuntur.

DEO quarto, modum praesentiae sacramentalis quem Christus habet sub speciebus Eucharisticis, non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque ad predicamentum substantiae reductivae pertinere.

52 Probatur primo: Ille modus est substantialis qui habet effectum substantialem: Sed modus iste habet effectum substantialem: Ergo substantialis est. Major constat, quia effectus formalis est ipsa forma, ut communicata subiecto. Minor autem probatur: Existere substantialem, seu modo substantialem, eo nimirum quo substantia postulat existere, est effectus substantialis: Sed per istum modum corpus Christi existit modo substantialem: Ergo ille effectus substantialem habet. Major probatur, Tum quia modus existendi debet proportionari rei existenti, & ideo modus existendi accidentium est accidentalis: Ergo modus existendi substantiae, erit substantialis. Tum etiam quia quod prevenit omnia accidentia non potest non esse substantiale: Sed modus ille quo substantia existit sub dimensionibus prevenit omnia accidentia, cum preveniat ipsam quantitatem, eo quod a nobis concipiatur ut medium inter substantiam & quantitatem, & ipsa quantitas, utpote prima passio substantiae corporeae, & ratio recipienti alia accidentia, illa preveniat. Ergo, &c. Minor vero docetur communiter a Theologis cum D. Thoma hic articulo 5. ubi sic ait: Corpus Christi non est in hoc sacramento, sicut in loco, sed per modum substantiae, eo scilicet modo quo substantia continetur a dimensionibus: succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento, substantia panis; unde sicut substantia panis non erit sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiae, ita nec substantia corporis Christi. Ratio etiam suffragatur: Nam esse ad modum substantiae est esse totum sub tota quantitate, & totum sub qualibet parte: Sed corpus Christi est totum sub tota quantitate panis: & totum sub qualibet ejus parte. Ergo est sub illa per modum substantiae.

53 Probatur secundo conclusio: Praesentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, non pertinet ad predicamentum ubi: Ergo reducti debet ad predicamentum substantiae: Consequentia patet, cum enim talis praesentia non pertineat ad predicamentum relationis, vel actionis, ut §. precedenti ostensum est, nec superficiei aliud predicamentum ad quod possit reduci, praeter substantiam, vel ubi, si non pertineat ad predicamentum ubi, manifestum est quod debeat revocari ad predicamentum substantiae. Antecedens ergo in quo est tota difficultas probatur: Tum quia supremum genus predicamenti ubi, est circumscriptionem, ut ex definitione Gilberti colligitur: Sed praesentia sacramentalis non est aliquid ubi circumscriptionem, ut de fide certum est. Ergo non continetur sub predicamento ubi. Tum etiam, quia ad tale predicamentum non pertinet quicumque modus praesentiae, sed ille tantum ratione cuius res denominatur existens in loco: Sed ratione praesentiae sacramentalis existens in loco.

L 4

corpus

corpore Christi non potest dici esse in loco: Ergo talis presentia ad predicamentum ubi non pertinet. Major est evidens, quia neque presentia qua duo corpora divinitus se se penetrant, denominantur sibi mutuo presentia, est ubi, neque illa qua materia denominatur presentia forme, vel forma materię, neque ea qua accidens denominatur presentia subiecto cui inheret, aut Angelus corpori circa quod operatur, ut ostendimus in Tractatu de Angelis disput. 4. art. 1. §. 8. Minor vero est D. Thome articulo supra citato, ubi expressè dicit corpus Christi non esse in hoc sacramento tanquam in loco, & nullo modo hic existeret localiter. Ratio etiam id suadet: Duplex enim tantum est modus essendi in loco, circumscriptivus scilicet, & definitivus: Sed neutro ex his modis corpus Christi est sub speciebus: non quidem primo, quia est totum sub tota hostia, & totum sub qualibet parte, nec etiam secundo, quia quod est definitivè in aliquo loco, ita est in illo ut non sit alibi: Sed corpus Christi non ita est sub una hostia, ut non possit esse simul sub aliis. Ergo non est in una hostia definitivè. Unde Sanctus Doctor eodem articulo in resp. ad 1. sic ait: *Corpus Christi non est in hoc sacramento definitivè, quia sic non esset alibi, quam in hoc alibi ubi consistit hoc sacramento; cum tamen sit & in celo in propria specie, & in multis altariis sub specie sacramenti. Similiter etiam patet, quod non est in hoc sacramento circumscriptivè, quia non est ubi secundum commensurationem propria quantitatis.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

54 Obijciens primo: D. Thomas in 4. distinct. 10. quest. 1. art. 3. questione. 1. sic ait: *Comparatio Christi ad speciem sub qua est, non est similis alicui comparationi naturali, & ideo non potest reduci, propria loquendo, ad aliquam modum a philosopho assignatum. Tamen habet aliquam similitudinem cum illo modo quo aliquid dicitur esse in loco, secundum quod esse in loco, est esse in aliquo separato extra substantiam suam quod non est causa ejus. Et secundum hoc etiam Innocentius dicit corpus Christi esse in pluribus locis, quod consistit sub pluribus speciebus: Ergo D. Thomas censet, presentiam sacramentalem quam corpus Christi habet sub speciebus, reductive pertinere ad predicamentum ubi, non vero ad predicamentum substantię.*

55 Sed nego consequentiam: quoniam enim D. Thomas dicit hanc presentiam sacramentalem habere aliquam similitudinem & analogiam cum ubi corporeo, quatenus scilicet provenit ab aliquo extrinseco, nimirum a conversione substantię panis in corpus Christi: sicut ubi corporeum, juxta Gilbertum Porretanum, resultat ex circumscriptioe loci: non tamen propterea censet, talem presentiam pertinere ad predicamentum ubi; quin potius, cum afferat loco supra citato, Christum esse in hoc sacramento per modum substantię, & hanc presentiam esse similem illi qua substantia denominatur presentia suis dimensionibus, existimat illam esse substantialem, subindeque ad predicamentum substantię, reductive saltem, pertinere, non vero ad predicamentum ubi.

56 Obijciens secundo: Modus qui advenit substantię in suo ultimo actu substantialem constituit, non est substantialem, sed accidentalis: Atqui presentia sacramentalis advenit corpori Christi in suo ultimo actu substantialem constituit: Major certa videtur, quod enim advenit enti in ultimo actu substantialem constituit, advenit ipsi ut non ulterius perfectibilis per alium actum substantialem, subindeque est accidens. Minor vero sic ostenditur: Existens est ultima actualitas linee substantialis: Sed presentia sacramentalis advenit corpori Christi ut existenti: Ergo advenit ipsi, ut in suo ultimo actu substantialem constituit.

57 Respondeo dupliciter aliquem modum dici substantialem, proprie scilicet & improprie. Dicitur proprie substantialem, quando pertinet ad constitutionem ipsius compositi substantialis, intra lineam substantię spectat, quo pacto modus unionis inter materiam & formam, & modus unionis inter Verbum & humanitatem, in opinione illorum qui tales modos admittunt, possunt dici substantiales, & similiter substantialem & existentialem, & in hoc sensu non affirmamus presentiam sacramentalem corpus Christi sub speciebus, esse substantialem, quod solum convincit argumentum. Secundum ergo potest dici modus afficit ipsam substantiam, & antecedit ipsam quantitatem, subindeque omnia alia accidentia substantię corporeę, & afficit actionis substantialis, terminat ad substantiam, sub illo modo substantialem, & indivisibilem, & in hoc sensu dicimus presentiam sacramentalem corpus Christi sub speciebus esse substantialem, ut constat ex supra dictis.

Dices, Nullo modo potest dici sive proprie sive improprie substantialem, si non pertinet ad constitutionem substantię: Sed modus iste presentię sacramentalis non pertinet ad constitutionem substantię, sed ad constitutionem substantię, transat: Nullus modus supernaturalis, qualis est presentia sacramentalis corpus Christi sub speciebus, nego. Hoc ipso enim quod supernaturalis est, debet supponere substantiam cui advenit jam completam, subindeque ut habentem omne suam complementum substantialem.

Respondeo distinguendo Majorem: Nullus modus naturalis substantię, cujusmodi sunt substantialem & existentialem, potest dici substantialem, si non pertinet ad constitutionem substantię, transat: Nullus modus supernaturalis, qualis est presentia sacramentalis corpus Christi sub speciebus, nego. Hoc ipso enim quod supernaturalis est, debet supponere substantiam cui advenit jam completam, subindeque ut habentem omne suam complementum substantialem.

Hic, inquam, argumento ex principiis jam statuis facile responderet, negando scilicet id quod in Minori supponitur, nimirum presentias sacramentales corpus Christi in Eucharistia, esse plura accidentia solo numero diversa: ille enim presentia, nec sunt accidentia, nec distinguuntur solo numero, sed specie: sicut enim duę species intentionales, representantes duo objecta solo numero distincta, distinguuntur specie, quia ex eo quod quilibet representat hoc numero objectum, dicit essentialiter distinctum ab tale objectum in individuo, subindeque distinguuntur inter se essentialiter & specie: ita etiam quia presentia sacramentalis corpus Christi sub speciebus, dicit essentialiter ordinem ad habere numero species (ex eo quod effectus formalis & essentialis ipsius, est facere presentem corpus Christi sub his numero speciebus, relictis ex substantia que fuit terminus a quo conversionis) consequenter plures presentias sacramentales distinguuntur plusquam numero, quia distinguuntur essentialiter, & consequenter specie.

Ex dictis etiam intelliges, presentiam sacramentalem corpus Christi sub speciebus, duas habere conditiones, unam in qua convenit cum presentia rei spiritualis; alteram in qua excedit illam. Convenit in eo, quod utraque modo indivisibilis facit rem presentem (scilicet totam in toto, & totam in qualibet parte) excedit autem in eo quod ubi seu presentia rei spiritualis, licet sit indivisibilis, tamen quia oritur a virtute finita & limitata, ita coarctatur & limitatur ad certam distantiam & locum, quod ultra illam spheram non est, & ideo vocatur ubi definitivum: At vero presentia sacramentalis corpus Christi sub speciebus, oritur ex virtute infinita Dei, convertentis panem in ipsum, unde ita Christus est in una hostia & in uno altari, quod non definitur & limitatur, ut non sit in aliis, atque ita non est ubi definitivum, sicut presentia Angelis, licet sit modo indivisibilis, sed vocatur presentia sacramentalis, quia ita est indivisibilis & totaliter in qualibet hostia, & in qualibet parte illius, quod etiam in aliis hostiis & altariis esse potest, si ubi consecratur panis.

Queres, an ex vi hujus presentię maneat corpus Christi 60 unitum speciebus?

Respondeo affirmative: Ut enim dicemus articulo sequenti, Christus movetur ad motum specierum: nisi autem ponatur aliquis nexus inter species, Christus non poterit moveri ad motum illarum, quia nihil movetur ad motum alterius, nisi illi aliquo modo conjunctum sit. Unde Damascenus lib. 4. fidei cap. 14. ait: *Quia consuetudo est hominibus considerare panem & vinum, conjugavit ejus divinitatem, & fecit in Corpus & Sanguinem suum. Quod exponens Sanctus Thomas in 4. dist. 11. quest. 1. art. 1. questione. 1. ad 1. dicit: *Quod verbum Damasceni intelligendum est quantum ad species quibus corpus Christi divinitati unitum, modo inseparabilis conjungitur. Ait: modo inseparabilis, quia qualis sit hęc unio corporis Christi cum speciebus, difficilem explicari potest; non enim est unio forma cum materia, vel accidentis cum subiecto, aut agentis cum passio, vel suppositi cum natura, ut de se patet, ad quod ergo genus unionis reducitur? Respondeo illam esse singularem, & sine exemplo in natura, assimilari tamen illi qua unum corpus penetrat aliud, est intra terminos quantitatis ipsius, & ipsa penetratione illi copulatur, nec potest ab eo divelli, nisi illo destructo**

ita Christus per presentiam sacramentalem ita intra terminos quantitatis panis manet, ut ab illa separari nequeat, nisi corruptis vel destructis ipsis ipsis speciebus: non dicitur tamen proprie & in rigore esse penetrative sub illis, quia non est modo quantitativè in Eucharistia, & sic non indiget penetratione, ut ponatur sub quantitate panis. Unde aptius esset exemplum, si una substantia sine Philosofo intra terminos alterius penetraret, tunc enim intra terminos illius esset, sed modo quodam inextenso & indivisibili. Quare D. Thomas supra quest. 75. artic. 1. ad 3. docet corpus Christi esse in Eucharistia, quodam specialis modo, qui est proprius huic sacramento. Ubi Cajetanus in fine commentarii ait: *Merito domum modus iste dicitur proprius huic sacramento, non solum propter differentiam a reliquis sacramentis, sed etiam quia in toto universo non apparet unus aliquis modus huic similis: Propter quod cum admiratione & veneratione faciemur despectum cognitionis nostre circa hoc.*

Queres secundo, an presentia sacramentalis Christi pendat ab ejus presentia naturali, ita ut repugnet Christum habere modum essendi sacramentalem, antequam per incarnationem haberet modum essendi naturalem?

Respondeo affirmative cum Cajetano hic art. 2. ubi oppositum vocat chimeram, atque esse admiratione dignum quod a Soto doceatur. Ratio est, quia esse sacramentale est esse tantum secundum quid, & cum addito, scilicet sub speciebus Eucharisticis, unde transubstantiatio non est actio productiva corporis Christi simpliciter absolute, sed tali modo, nimirum sub speciebus, ut disputatione precedenti artic. 2. conclusione ultima ostentum est: esse vero naturale quod Christus habet in propria specie est esse absolute & simpliciter: At esse secundum quid, seu tali modo supponit esse absolute & simpliciter: Ergo repugnat corpus Christi esse sacramentaliter in Eucharistia, nisi prius saltem natura habeat modum existendi naturalem.

64 Confirmatur: corpus Christi est sacramentaliter in Eucharistia, per conversionem panis in ipsum: Sed ad hoc ut substantia panis convertatur in corpus Christi, exigitur necessario quod corpus Christi prius saltem natura existat, quia nihil potest converti in id quod non est: Ergo ad hoc ut Christus sit presentem sacramentaliter in Eucharistia, oportet quod habeat, saltem prius natura, modum essendi naturalem in seipso.

65 Confirmatur amplius: Presentia Christi sacramentalis causatur efficienter a Christo posito in esse naturali, cum humanitas Christi sit instrumentum conjunctum Divinitati, ad conversionem substantię panis in corpus Christi: Sed omnis causa est prior saltem natura suo effectui: Ergo presentia Christi sacramentalis, prioritate saltem nature, supponit modum essendi naturalem in seipso.

ARTICULUS IV.

An Christus in Eucharistia possit moveri localiter, & agere vel passio actione corporea?

66 Dico primo, Christus in Eucharistia non potest moveri per se motu locali, bene tamen per accedens, ad motum specierum sacramentalium. Ita D. Thomas hic art. 6. ubi sic ait: *Secundum hoc esse (sacramentale) non movetur Christus per se secundum locum, sed solum per accedens: quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco; quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum ejus in quo est. Quibus verbis S. Doctor utramque partem nostrę conclusionis & docuit & probavit. Primam quidem hac ratione quam insinuat: Illud quod non est in loco, non potest per se moveri localiter: Sed Christus non est in hoc sacramento tanquam in loco: Ergo non potest in eo per se moveri localiter. Minor probata fuit a D. Thoma artic. 5. precedenti in corp. ubi sic dicitur: *Corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensionis, sed magis secundum modum substantię: omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensionis, in quantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensionem: unde relinquatur quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantię, eo scilicet modo quo substantia continetur a dimensionibus, succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento, substantia panis: unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantię, ita nec substantia corporis Christi. Major vero suadetur: Primo quia moveri localiter est mutare locum, seu relinquere unum locum & acquirere alterum: Ergo quod non est in loco, non potest per se moveri localiter: Secundo, quod per se & non ratione alterius, movetur, debet per se recipere terminum talis motus: Sed illud quod non est per se in loco, non potest recipere terminum motus localis, quia hic in corporebus non est aliud quam motus ubi, quod non resultat nisi ex adjacentia loci: Ergo quod non est per se in loco, non potest per se moveri localiter.**

Ex his coniuncta manet quorundam Recentiorum sententia, afferentium Christum, ut est in sacramento, non posse quidem se movere & moveri motu progressivo, bene tamen motu simplici, sicut gravia feruntur deorsum. Nam sicut ad motum progressivum corporum, requiritur ut una pars moveatur ante aliam, & consequenter sit in diverso loco; ita ad motum simplicem quo gravia feruntur deorsum, requiritur ut una pars prius occupet unam partem loci, quam altera, & ut id quod per se movetur tali motu, partim sit in termino a quo, & partim in termino ad quem: Ergo eadem est ratio de uno ac de alio.

Secunda etiam pars conclusionis quam negat Durandus in 4. dist. 20. qu. 3. ubi docet corpus Christi in Eucharistia non moveri etiam per accedens ad motum specierum, probatur ratione a D. Thoma indicata. Nam corpus Christi continetur sub speciebus eo modo quo continetur substantia panis: Sed substantia panis ita continebatur, ut moveretur motis speciebus: Ergo pariter corpus Christi per accedens movetur ad motum specierum, unde elevari portari in processibus, deferri ad infimos, elevari a Sacerdotibus post consecrationem, & similia, que sine motu locali explicari nequeunt.

Observandum tamen est diligenter, quod cum species non inhereant corpori Christi, sicut inherebant substantię panis, inde fit ut licet substantia panis esset in loco ratione specierum, & reciperet motum in se, ad motum specierum, non tamen corpus Christi. Nam quod ita movetur per accedens, ut in seipso recipiat motionem localem, debet etiam recipere terminum illius motus, scilicet ubi, seu presentiam localem, ut patet in homine existente in navi, qui immotus manens in se, ita movetur per accedens ad motum navis, ut recipiat in se terminum illius motus, scilicet ubi: Atqui corpus Christi in hoc sacramento, nullam habet presentiam localem seu ubi, ut articulo precedenti ostendimus, sed sacramentalem tantum, que omnino invariata manet, quando remanent eadem species, quantumcumque aliande localiter moveantur: Ergo quantumvis corpus Christi per accedens movetur ad motum specierum, non tamen in se recipit motum localem, sed ille recipitur in solis speciebus.

Contra hanc secundam partem nostrę conclusionis obijci potest primo cum Durando: Corpus Christi in hoc sacramento nec per se, nec per accedens potest calefieri aut frigidari, ad calefactionem vel refrigerationem specierum, nec frangi ad illorum fractionem: juxta illud quod canitur in Prosa Missę corporis Christi:

*Nulla rei sit fractura,  
Signi tantum sit fractura,  
Qua nec factus nec fractura  
Signati minuitur.*

Et rursum:

*A fumento non confusus,  
Non confusus, non divisus,  
Integer accipitur.*

Ergo nec corpus Christi potest dici moveri localiter ad motum specierum.

Sed facile responderetur, negando consequentiam & paritatem. Nam sicut anima licet calefacto corpore, nullo modo calefiat, moto tamen localiter corpore, ipsa per accedens movetur, ut docet D. Thomas 1. part. quest. 75. art. 1. ad 1. Ita corpus Christi, licet non calefiat, calefactis speciebus, his tamen localiter motis, per accedens movetur; quia ad primum requiritur, ut calorem & calefactionem in se recipiat; ad secundum vero sufficit ut sit contentum in eo quod per se movetur.

Ad id quod dicitur de fractione, plures sunt qui admisso Antecedente, negant etiam consequentiam & paritatem, quia (inquunt) divisio importat aliquam alterationem que non potest competere corpori Christi, prout est in hoc sacramento, sicut calefactio. Melius tamen responderetur, negando Antecedens; nullum enim inconveniens est admittere corpus Christi proprie loquendo frangi secundum presentiam sacramentalem quam habet sub speciebus panis: Apostolus enim 1. ad Cor. 10. dum refert institutionem hujus sacramenti, hunc modum loquendi usurpat, dicens: *Panis quem frangimus.* Et in profectione fidei Berengarii, Canone Ege Berengarius de Consecratione distinctione a. sic dicitur: *Corde & ore proficere, verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi in veritate manibus sacerdotum trassari, frangi & fidelem devotus acceri.* Item S. Thomas quest. 77. sequenti art. 1. ad 3. hac scribit: *Corpus Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. ... & ideo non frangitur, nisi secundum speciem sacramentalem.* Id recte explicat Granados Tractatu 6. disp. 1. sectione 1. num. 11. his verbis: *Non dicitur frangi Christus Dominus, quasi in partes sui dividatur, sed quia totus a seipso separatur, cum species dividantur. Cum enim ipse sit totus sub qualibet parte specierum, & dum species sunt continue, ipse quoque habeat presentiam continuam sub illis, quando destruitur continuatio specierum, & una pars separatur ab altera, ob idque dicuntur proprie accidentia dividi*

70 & frangi, destruitur etiam continuatio presentie Christi Domini, & ipse prout est sub una parte, sejungitur a seipso, prout est sub alia, & ad diversa loca deferuntur; & ideo proprie dicitur frangi & dividi, non frangitur, quatenus diversis partibus specierum adest, & ideo nullo modo derogat incorruptioni Christi. Unde quando in Prosa Missae de Corpore Christi Carissimus dicitur non concipitur, non destruitur, non dividitur, hoc debet intelligi secundum esse naturale quod habet in Eucharistia.

71 Dico secundo, corpus Christi, prout est in hoc sacramento, nec agere nec pati potest actione corporea. Ita communiter docent Theologi cum D. Thoma infra qu. 81. art. 4. contra Nominales, asserentes omnem actionem tam corporalem quam spirituales, quam potest habere corpus Christi ut in propria specie, posse etiam habere prout est in sacramento, passis aequaliter dispositis.

72 Probatur conclusio ratione fundamentali: Omnis actio & passio corporea requirit in agente & patiente extensionem localem & quantitatem. At corpus Christi in Eucharistia non est extensum localiter, sed in ea existit modo indivisibili & inextenso: Ergo prout est in hoc sacramento, incapax est omnis actionis & passionis corporeae. Minor est certa de fide. Major vero ex eo patet, quod agentia corporea non agunt, nisi mediis potentiis & organis, qua non sunt proxime & formaliter apta ad agendum, sine quantitate & extensione locali.

73 Confirmatur: Nullum corpus potest naturali virtute agere in aliud, aut ab eo pati, nisi illud contingat, ut enim ait S. Doctor 1. p. quest. 35. art. 5. in fine corporis: Nullum corpus agit, nisi tangendo, vel movendo. Sed corpus Christi prout est in Eucharistia, nec aliud tangere, nec ab alio tangi potest, quia contactus quantitativus supponit extensionem localem utriusque corporis sese tangentis, ut patet: Ergo corpus Christi prout est in sacramento, neque agere potest in aliud corpus actione corporea, neque ab alio corpore pati.

74 Confirmatur amplius: Actio transiens & passio recipiuntur in passio, unde fit ut necessario recipiantur ad modum patientis, & consequenter participant modum existendi illius: Sed nulla actio vel passio corporea, potest habere modum existendi, qui competit corpori Christi in Eucharistia, cum in ea existat modo intenso & indivisibili: Ergo corpus Christi, ut est in hoc sacramento, est incapax omnis actionis & passionis corporeae. Potest tamen in eo elicere actus intellectus, per scientiam beatam, vel infusam; subindeque actus voluntatis ad illos consequentes; cum intellectu & volitione non egent necessario ministerio sensuum, vel conversione adphantasmata, ut patet in anima separata a corpore.

75 An vero in hoc sacramento sensationes estisquam externam, puta visionem, elicere possit, difficultas & controversia est inter Theologos: Nominales enim, & quidam alii, id absolute concedunt. Mihi tamen asserendum videtur, id naturaliter esse impossibile: quia species necessaria ad operationes sensuum, sunt materiales, & naturaliter petunt extensionem, & ipsae potentiae sensitivae, cum sint organicae, non possunt naturali virtute exire in operationem, sine eadem extensione in ordine ad locum, ex eo quod requirunt contactum quantitativum mediis, desideratis speciebus ab objecto ad potentiam. Quia tamen extensio localis est solum conditio in objecto visibili, & in oculo, videtur divina virtute supplebilis, ut dicemus articulo sequenti: ac proinde probabile & credibile est Christum in Eucharistia, oculo corporis videre supernaturaliter fideles qui ibi adsunt, & quae coram sacramento agunt, juxta illud Sponsae Cantici: *En iste sponsus post partem nostram, respiciens per fenestras, respiciens per cancellum nostrum, speciem sacramentalium: alioquin si Christus sub speciebus Eucharisticis existens, nullam vitam sensitivam operationem exerceret; corpus Christi gloriosum & immortale, modo quodammodo in hoc sacramento existeret, & ibi esset quasi lapis, aut aliud insensibile.*

Adde quod cum probabile sit, Christum et celo oculo corporis (sicut et terra ipsum vidit Stephanus stantem in celo) videre omnia quae sunt & aguntur in terra; asserere etiam debemus, hanc visionem per concomitantiam eidem in hoc sacramento existenti convenire, & ex sacramento illa omnia videre, ut recte annotavit Serra hic art. 7. in fine.

76 Contra istam conclusionem, & praecipue contra id quod diximus, Christum in hoc sacramento esse incapax omnis passionis corporeae, ab extrinseco agente illate, fieri potest hoc argumentum: Christus, ut est in hoc sacramento, potest mori: Ergo & pati. Consequenter videtur manifesta ex paritate rationis, eadem enim videtur ratio de passione & de morte. Antecedens vero expresse docetur a D. Thoma infra qu. 81. art. 4. ubi asserit, quod si hostia consecrata manifestet tempore passionis, quando Christus moriebatur in cruce, mortuus etiam fuisset in hostia: Ergo juxta doctrinam D. Thomae, Christus ut est in hoc sacramento, potest mori.

Respondeo, concessio Antecedentes, negando consequentiam & paritatem, quia ut ibidem dicitur S. Doctor: *Corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento & in propria specie, sed non eodem modo. Nam in propria specie contingit circumstantia corporea per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento; & ideo quicquid pertinet ad Christum secundum quod in se est, potest attribui ei, & in propria specie & in sacramento existenti; sicut vivere, mori, delere, animatum esse, & cetera hujusmodi. Quaeque vero conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, passiva et accubiva in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento; sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cetera hujusmodi. Et rursus, cum sibi primo loco obijciat, quod Christus, ut est in hoc sacramento, non potest pati: Respondet, negando consequentiam & paritatem: Quia (inquit) passio convenit corpori passivo per comparationem ad agens extrinsecum, & ideo Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest, potest tamen mori.*

Adverte tamen, quod quando dicitur, Christum ut est in Eucharistia potest mori, hoc non debet intelligi de morte ipsi illata, prout est in hoc sacramento; cum enim in eo, modo inextenso & indivisibili, subindeque impassibili existat, non potest in eo statu, ipsi ab aliquo agente extrinseco mori inferri: Sed de morte illata ipsi ut existenti in propria specie: cum enim idem numero sit corpus Christi sub utroque statu, eo ipso quod moreretur in propria specie, consequenter etiam vel concomitanter, ut in hoc sacramento mori deberet.

ARTICULUS V.

An repugnet de potentia, absoluta oculum corporeum elevare ad videndum corpus Christi in sacramento?

77 Duplex est oculus, alter corporalis, proprie dictus, alter spiritualis, nimirum intellectus, qui metaphoricè & per similitudinem dicitur oculus. Sic ad Ephes. 1. fideles dicuntur habere oculos illuminatos fidei. Et D. Bernardus serm. 2. de Epiphania, fidem appellat oculatam, eamque lyceos habere oculos affirmat: *Videtur* (inquit) *quam oculata sit fides, quam lyceos oculos habeat diligenter considerate.* Si sermo sit de oculo corporeo, certum & indubitatum esse debet, ipsum non posse naturaliter videre Christum existentem in Eucharistia sacramento; quia nullum objectum potest naturaliter videri, nisi similitudinem sui diffundere possit per medium in potentiam: corpus autem Christi, ut sacramento existens, speciem sui per medium diffundere nequit, de potentia saltem ordinaria; tum quia non potest agere ad extra, ut articulo precedenti ostendimus; tum etiam, quia haec emissio exigit naturaliter extensionem, & contactum quantitativum mediis, que non competunt corpori Christi in Eucharistia. Si vero de oculo spirituali scilicet intellectu loquamur, docent communiter Theologi contra Ocham & Gabrielem, corpus Christi, prout est in Eucharistia, non posse cognosci naturaliter ab intellectu humano, corpori conjuncto: quia intellectus victorios nihil potest naturaliter cognoscere, nisi quod sensus percepit, naturalis quippe modus intelligendi ipsius, pro hoc statu, est per species a sensibus desumptas, unde nihil potest esse in intellectu, qui prius fuerit in sensu: Sed corpus Christi sacramentaliter existens, non est naturaliter sensu perceptibile: Ergo nec intellectu humano, corpori conjuncto.

78 Asserunt etiam Theologi contra Scotum, nullum intellectum creatum, etiam angelicum, posse naturali virtute cognoscere modum presentie sacramentalis, quo corpus Christi existit in Eucharistia; quia hic modus est supernaturalis quoad substantiam, ut art. 2. ostendimus; unde sicut unio hypostatica, gratia, & reliqui habitus supernaturales non sunt naturaliter cognoscibiles ab intellectu creato, ita nec modus ille presentie sacramentalis. Quare licet demon non videat substantiam panis in Eucharistia, non tamen statim inferre potest, adesse corpus Christi realiter in tali sacramento, quia illa substantia, est ordinis naturalis, potest divinitus demoni occultari, quemadmodum in Tractatu de Incarnatione disput. 2. artic. 2. diximus, quod quamvis Angelus non videat in humanitate Christi substantiam propriam & creatam, non potest tamen (seclusa revelatione Dei, qui illi manifestet humanitatem in verbo subsistere) certo & evidenter cognoscere humanitatem Christi ad incretam Verbi substantiam elevatam esse; quia rationabiliter dubitare potest, an Deus, utendo potentia sua absoluta, substantiam creatam & propriam humanitatis Christi ipsi occultet, sive concursum ad illam cognoscendam denegat.

79 Denum exploratum est apud omnes, presentiam sacramentalis corporis Christi in Eucharistia, posse supernaturaliter cognosci per fidem, vel per scientiam infusam, aut per visionem beatam. Unde S. Thomas hic art. 7. *Corpus Christi secundum modum essendi quem habet in hoc sacramento, neque sensu, neque imaginatione perceptibile est,*

sed intellectu, qui dicitur oculus spiritualis, percipitur autem diversimode a diversis intellectibus. Quia enim modus essendi quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis, a supernaturali intellectu, scilicet divino, secundum se visibilis est, per consequens ab intellectu beato, vel Angelis, vel hominibus, qui secundum participatam claritatem divini intellectus videt ea quae supernaturalia sunt, per visionem divini essentia: ab intellectu autem hominis victorios non potest conspici nisi per fidem, sicut cetera supernaturalia. Solum ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an sicut oculus mentis, scilicet intellectus, potest supernaturaliter evahi ad videndum corpus Christi in Eucharistia, visione spirituali & intellectiva; ita oculus corporis ad illud intuendum in visione corporea & sensitiva, de potentia Dei absoluta, elevari possit?

Negat Capreolus, Paludanus, Joannes a S. Thoma, Suarez, Granado, & alii. Affirmant Soto, Nunno, Sylvius, Marcus a Serra, Martinez a Prado, Vasquez, Valentia, Coninck, & alii plures.

S. I.

Hae sententia ut probabilior eligitur.

80 Dico igitur, oculum corporeum supernaturaliter elevari posse ad videndum corpus Christi ut existens in sacramento, non tamen ad videndum ipsum modum quo in eo existit supernaturaliter.

81 Probatur primo ex D. Thoma hic art. 7. ad 2. ubi haec scribit: *Oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen praesens videre ipsum modum essendi qui est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum: nec tamen est simile de altero oculo glorioso, quia etiam oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus: Ergo juxta D. Thomam nulla est implicitantia in hoc quod corpus Christi dicatur posse videri in hoc sacramento oculo corporeo.*

82 Respondet primo Capreolus, non esse sic legendum, sed alio modo, scilicet, *Oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, quantum pertinet ad intellectum.* Verum, ut notat Soto, Capreolus incidit in mendosum codicem; nam in omnibus emendatis editionibus Summae D. Thomae, non solum in Romana, sed etiam in Parisiensi, Lugdunensi, Colonienfi, & Anverspiensi, verba praedicta leguntur.

83 Respondent alii, hanc locum D. Thomae ita esse explicandam, ut hoc quod dicit, *sub sacramento*, non sit jangendum cum objecto, sed cum subiecto, & sensus sit, quod Christus sub sacramento, videt seipsum existentem, non tamen sub sacramento, sed in propria specie.

84 Verum haec expositio nimis violenta est, & aperte repugnat menti S. Doctoris: tum quia argumentum cui respondet, non patitur hanc solutionem, sic enim arguit: *Oculus Christi videt seipsum, ut est in hoc sacramento: Ergo & quilibet oculus, ubi manifeste, ly sub sacramento, tenet se ex parte objecti. Tum etiam, quia haec solutio non esset ad propositum, non enim in articulo quaeritur utrum Christus possit videri, sed utrum possit videri. Adde quod D. Thomas concedit oculum Christi quod negat aliis: Sed negat alios quod possint ipsum videre in hoc sacramento: de hoc enim est quaestio: Ergo id oculo Christi concedit.*

85 Dices, quare corpus Christi, ut existens in sacramento, potius ab oculo ipsius Christi, quam ab aliis videatur? Respondeo hujus rationem videri satis difficilem, posse tamen duplicem assignari. Prima est, quia oculus Christi, licet non sese videat naturaliter, sed supernaturaliter, exigit tamen ex eo quod ponatur sub sacramento, supernaturaliter sese videre, quod tamen non exigit alter oculus, etiam glorificatus; sicut enim hoc ipso quod cogitatio mea est, debet eam cognoscere, etiam non possit ab alio cognosci, similiter exigit oculus Christi seipsum videre, ut in sacramento, hoc ipso quod ipsemet est in sacramento. Unde S. Thomas in 4. dist. 10. quest. 2. art. 4. quaestione. 1. ad 1. ait: *Si oculus Christi esset extra species sacramenti, non videret substantiam suam intra species sacramentum.*

86 Aliam rationem tradit Soto in 4. dist. 11. q. 1. artic. 7. ubi ait, quod licet Christus in sacramento non possit multiplicare species per medium, potest tamen illas multiplicare per seipsum: ut autem videri possit ab oculo existente extra sacramentum, species visibiles multiplicare deberet per medium, scilicet illas ad talem oculum emittere, quod non requiritur ut videri possit ab oculo, qui etiam est sub sacramento, sed sufficit, ut per seipsum multiplicet, & sic ad talem oculum emittat.

87 Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. Potentia cognoscitiva potest saltem divinitus omnia percipere quae continentur intra latitudinem sui objecti specificativi: Sed quamvis corpus Christi, ratione modi essendi sacramentalis, non continetur inter objectum visum, bene tamen ratione sui, cum habeat ibi suum colorem;

Ergo quamvis oculus corporeus non possit elevari a Deo ad videndum modum supernaturalem & miraculosum quo corpus Christi est in Eucharistia, bene tamen ad conspiciendum ipsum Christi corpus in ea existens.

88 Respondent Adversarii, quod licet corpus Christi, ut 88 existens in Eucharistia, sit coloratum, subindeque intra objectum specificativum potentia visiva, quia tamen non est intra objectum proportionatum illius, eoque ibi non fit extenso modo, & extensio localis fit conditio sine qua objectum visibile a visu percipi nequit; non potest etiam supernaturaliter videri ab oculo corporeo.

89 Sed contra primo: Deus ut in se est, quamvis non sit 89 objectum proportionatum nostri intellectus, potest tamen ab illo attingi supernaturaliter, ex eo quod continetur intra objectum specificativum ipsius: Ergo similiter, quamvis corpus Christi, ut existens in sacramento, non fit objectum proportionatum visus, & ideo non possit naturaliter ab eo percipi, eo tamen ipso quod est intra objectum specificativum ipsius, poterit supernaturaliter ab eo attingi.

90 Secundo, quamvis juxta modum connaturalem agendi visio fiat per species extensas & ab objecto extenso missas, non videtur tamen negandum, quin de potentia absoluta oppositum fieri possit; vel quia Deus seipso immediate producat speciem in oculo, vel quia cum extensio sit solum quaedam conditio & modificatio objecti, non minus a Deo suppleri poterit, quam aliae conditiones, verbi gratia approximatio; nam D. Stephanus e terra Christum vidit stantem in caelo, & Beati in caelo, non obstante opacitate terrae, poterant videre damnatos in inferno existentibus.

91 Adiunt aliqui, quod sicut quando res aliqua conspicitur in speculo, imago illius non est per partes extensa in speculo, prout res ipsa apparet, quinimo imago totius objecti est in qualibet parte & puncto speculi; ita quamvis Christus sit in sacramento, modo indivisibili & inextenso, & totum in toto, ac totum in qualibet parte, nihilominus potest, saltem divinitus, representari oculo corporeo per aliam speciem, praesertim quia licet tale corpus existat indivisibiliter in ordine ad locum, est tamen divisibile in ordine ad se, & habet extensionem integram partium in se, ut magis patebit ex solutione objectionum.

92 Probatur tertio conclusio evertendo praecipuum fundamentum Adversariorum: Si quid impediret, quin omnis corpus Christi in sacramento existens possit videri oculo corporeo, maxime quia deberet videri modus quo ibi existit; quod videtur impossibile, cum modus ille sit supernaturalis, spiritualis, & omni ex parte indivisibilis: Sed haec ratio non obstat: Ergo &c. Major est unum ex praecipuis fundamentis Adversariorum, praesertim Suarez, qui hic disput. 53. sect. 2. sic dicitur: *Si videtur corpus Christi sub speciebus: Ergo formaliter & per se videtur, ut sub eis praesens: Ergo videtur praesentia quam sub illis habet, quia haec est formalis ratio existendi ibi; non potest autem per se videri aliquod quasi concretum, quin simul per se videtur forma, qua formaliter constituitur.* Minor vero suadet. Quantumvis enim duo jungantur, potest unum attingi sine alio, quando unum ex illis non pertinet ad ejus objectum: Sic viso colore pomi non videtur ejus odor vel sapor: sic Beata Virgo, Apostoli Christum in terris existentem oculo corporeo videbant, & tamen divinam ejus substantiam & existentiam visu corporeo non cernebant, sed demtaxat cognitione supernaturali fidei illam cognoscebant. Item ipse Christus, cum penetravit januas, vel lapidem sepulchri, vere seipsum videbat, ut erat penetrative in lapide, vel in loco januarum, & tamen non videbat oculo corporeo modum supernaturalem quo ibi penetrative erat: Ergo similiter poterit oculus corporeus divina virtute videre Christum in sacramento existentem, absque eo quod modum ipsum quo existit intueatur. Unde D. Thomas supra relatatus: *Oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi qui est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum.*

93 Dices: Si oculus corporeus videret corpus Christi, ut existens in sacramento, & tamen modum quo in eo existit non perciperet, unum ab alio abstraheret; potentia enim cognoscens unum non cognoscit alio sibi conjuncto, dicitur abstrahere seu prescindere unum ab alio: Sed potentia visiva, cum sit corporea & immerfa materie, abstractiva non est, ut docent Philosophi: Ergo oculus corporeus non potest videre corpus Christi, ut existens in sacramento, nisi etiam ipsum modum quo ibi existit, videat.

94 Respondet negando sequelam Majoris & distinguendo 94 probationem illius: Potentia cognoscens unum, non cognoscit altero sibi conjuncto, abstrahere dicitur, si illud quod non cognoscitur pertinet ad objectum potentiae, concedo: si non pertinet ad illius objectum, nego. Sic enim quando visus percipit colorem pomi, non percipiendo ejus odorem, non dicitur abstrahere unum ab alio, quia

quia odor pomii ad objectum potentia viviva non pertinet. Ita pariter, licet oculus corporeus videret supernaturaliter Christum in sacramento existentem, non visum modo supernaturaliter quo ibi existit, non diceretur abstrahere unum ab alio, quia talis modus, cum sit spiritualis & incorporeus, intra objectum potentia viviva non continetur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

95 Obijcies primo: Nullum objectum potest videri sine specie: Sed nulla potest dari species representans corpus Christi ut in sacramento existens: Ergo non potest ut ibi existens videri oculo corporeo. Major docetur communiter a Philosophis. Minor probatur. Corpus Christi est in sacramento modo indivisibili & inextenso: Sed nulla species sensibilis potest representare objectum existens modo indivisibili & inextenso, quia omnis species sensibilis, cum sit materialis, debet esse extensa & divisibilis: Ergo nulla potest dari species representans corpus Christi, ut in sacramento existens.

96 Respondeo, data Majori, negando Minorem: & ad ejus probationem dico, quod species divisibilis representare nequit objectum indivisibiliter existens, si existat indivisibiliter tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum: focus vero si existat indivisibiliter tantum in ordine ad locum, & sit divisibile in ordine ad se, unde cum objectum carens extensione locali possit habere extensionem integram partem in se, ut de facto habet corpus Christi in Eucharistia, per speciem divisibilem oculo corporeo representari potest.

97 Dices: Eito corpus Christi, ut in sacramento existens, videri possit per speciem extensam & divisibilem, non potest tamen ut ibi existens, talem speciem emittere, & per medium in potentiam diffundere; cum talis emissio & diffusio speciei exigat extensionem & contactum quantitativum mediis, que non competunt corpori Christi in Eucharistia: Ergo licet ut ibi existens, per speciem extensam & divisibilem representari possit, nihilominus videri nequit oculo corporeo.

98 Respondeo, dato Antecedenti, negando Consequentiam, quia ut supra dicebamus, esse corpus Christi, ut in sacramento existens, talem speciem emittere, & in sensum immittere nequeat, illa tamen potest immediate produci a Deo in oculo, vel Deus potest in objecto supplere defectum extensionis localis, cum illa sit conditio solum extrinseca, nec redundat in rationem formalem objecti, sicut extensio integralis partium in se.

99 Inhibet? Solum sensibile proprium de absoluta Dei potentia non potest videri, sed requiritur concursus sensibilis communis, quem Deus supplere non potest, quia non est pure effectivus, sed etiam formalis, eo quod modificat speciem sensibilis proprii: Atque extensio in ordine ad locum, est sensibile commune, ut docent Philosophi in libris de anima: Ergo Deus non potest supplere defectum extensionis localis in objecto visibili.

100 Respondeo negando quod sensibile proprium de absoluta Dei potentia non possit videri, sine concursu sensibilis communis; siquidem nihil deest sensibili proprio quod pertinet ad rationem objecti: modificatio enim sensibilis communis non requiritur ut objectum habeat absolute rationem objecti, sed ut fiat objectum proportionatum potentie: unde cum Deus possit potentiam elevare ad objectum improprietatum, non est necesse quod suppleat hujusmodi modificationem. Sicut approximatio & indistantia necessarii est ut agens modo connaturali agat; sed quia interdum elevatur supra modum agendi connaturali, & agere potest in distans, non est necesse ut Deus suppleat eam modificationem & conditionem indistantiam, que non requiritur ad agendum absolute, sed ad agendum connaturaliter. Sicut etiam licet certa quadam proportio aut distantia inter potentiam & objectum requiratur, ita ut non possit connaturaliter objectum immediate supra sensum positum efficere sensationem, attamen de potentia Dei absoluta id non videtur negandum. Quis enim negat Christum dum lapidem vel fores penetraret, lapidem vel janam vidisset, aut oculum Beati; si aliquid corpus penetraret, tale corpus visurum: quia scilicet hujusmodi modificatio necessaria est solum ut objectum sit proportionatum. Idem dicendum in proposito, nimirum quod modificatio sensibilis communis requiritur solum ut objectum possit videri connaturaliter; & si desit hae conditio, nihilominus poterit objectum de absoluta Dei potentia videri, neque necessarium est talem modificationem a Deo suppleri.

101 Obijcies secundo: Si oculus corporeus posset elevari a Deo ad videndum corpus Christi ut existens in Eucharistia, maxime quia illud, cum sit coloratum, continetur intra objectum specificativum potentie viviva: Sed hae ratio non valet: Ergo non precipuum fundamentum nostrae sententiae. Major patet ex supra dictis, Minor probatur.

batur. Color & alia accidentia corporis Christi sunt in sacramento ad modum substantiae: Ergo sunt insensibilia, sicut ipsa substantia: Ergo licet corpus Christi, ut existens in Eucharistia, coloratum sit, nihilominus oculo corporeo videri nequit, etiam de absoluta potentia.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: & ad ejus probationem dicendum, quod omnia accidentia corporis Christi in Eucharistia, sunt ad modum substantiae; eo sensu quo sunt modo indivisibilia, non vero modo indivisibilia; nam inseparabile est a calore quod sit visibilis cum id essentialiter habeat ex eo quod sit objectum sensus & qualitas sensibilis, sicut inseparabile est a quantitate, quod habeat extensionem partium in ordine ad se.

ARTICULUS VI.

Quaeritur quomodo corpus Christi desinat esse in hoc sacramento?

Dico primo: corpus Christi desinit esse sub speciebus sacramentalibus, quando desitura fuisset propria illarum substantia.

Probat: brevier: Christus succedit speciebus, loco proprie substantiae: Ergo non ante desinit sub illis, quam desitura fuisset propria substantia.

Confirmatur: Deus nunquam se subtrahit a rebus, nisi res ipse talem subtractionem possint; nam ut ait Apostolus ad Roman. 11. *Dona Dei sunt sine partitione*: Sed presentia Christi sub speciebus panis & vini, est maximum donum hominibus concessum: Ergo nunquam a speciebus illis se subtrahit, nisi ipse hanc subtractionem possint: quod solum tunc contingit, quando desitura fuisset propria illarum substantia. Unde erronea est, & a Gregorio XI. ut refertur in dictionario Inquisitionum, damnata aliquorum sententia, qui dicunt, desinare Christum sub sacramento, quando in aliquem locum immundum projicitur; cum enim corpus Christi sit in hoc sacramento impassibiliter, nullam contrahit in his casibus in seipso immunditiam, ut refert S. Thomas in 4. dist. 9. q. 1. art. 2. questione. 1. ad 3.

Ex his inferes, nunquam desinare corpus Christi sub speciebus, nisi succedente alia substantia, a pane & vino diversis: Nam Christus (ut diximus) non desinit sub speciebus, nisi quando desitura fuisset propria substantia: At propria substantia nunquam desitura fuisset, nisi alia genita fuisset; quia naturaliter nunquam corrumpitur unam, quin generetur alia specie diversam; nulla enim alteratio corrumpens individuum unius speciei disponit ad generationem alterius ejusdem speciei, ut experientia constat: Ergo non desinit corpus Christi sub speciebus, nisi illis succedat alia substantia, a pane & vino specie diversis, puta acetum, loco substantia vini, aut vermes loco substantia panis.

Dico secundo: corpus Christi non desinit esse sub speciebus, per transubstantiationem sui in substantiam substantialem.

Probat: Quod convertitur in aliud per transubstantiationem, desinit simpliciter esse, ut patet de substantia panis conversa in corpus Christi: Sed corpus Christi non desinit simpliciter esse in se, per hoc quod desinit esse sub speciebus; quia adhuc remanet in celo: Ergo corpus Christi non desinit esse sub speciebus, per transubstantiationem sui in substantiam substantialem.

Confirmatur: Inter desinonem corporis Christi, & incorporationem alterius substantiae, non est aliqua connexio, cum ex vi desinonis illius, non magis incipiat esse una substantia, quam alia: Ergo corpus Christi non desinit esse per conversionem in aliam substantiam.

Dico tertio: corpus Christi non desinit esse sub speciebus per annihilationem, aut per solam privatam loci mutationem, sed per desinonem quandam substantialem, innominatam.

Ratio hujus conclusionis est, quia cum corpus Christi non desinat esse sub speciebus per actionem conversionem sui in aliam substantiam, ut concludunt praecedenti ostensum est, consequenter habet desinare per cessationem illius influxus quo positum fuerat sub speciebus panis, & quo sub illis conservabatur: unde sicut non fuerat ibi positum per creationem, aut productionem simpliciter, quia corpus Christi praesupponatur existere simpliciter ante consecrationem; neque per actionem adductivam, ut praecedenti disputatione dictum est, sed per aliquem influxum substantialem; ita non desinit esse sub speciebus, per annihilationem, quae opponitur creationi, neque per solam privatam loci mutationem, quae opponitur actioni adductivae, sed per aliquam desinonem substantialem, quia cessatio influxus substantialis non potest non esse substantialis desinitio.

Dixi autem, hanc desinonem substantialem esse innominatam: neque enim potest vocari corruptio, Tum quia corpus Christi, cum sit jam gloriosum, est omnino incorruptibile: Tum quia corruptio proprie dicta fit per hoc quod

quod una forma succedit in locum alterius in eadem materia: nulla autem forma succedit in materia corporis Christi, alias sequeretur Christum toties mori, quoties desinit esse sub speciebus, contra illud Pauli ad Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*. Vocatur ergo desinitio substantialis tantum secundum quid, quia sicut per transubstantiationem corpus Christi non acquirit esse simpliciter, ita per cessationem hujusmodi transubstantiationis non amittit esse simpliciter.

DISPUTATIO VI.

De accidentibus Eucharisticis.

Ad quest. 77. D. Thome.

Cum in conversione Eucharistica tota substantia panis & vini, in corpus & sanguinem Christi transmutetur, remanentibus dumtaxat accidentibus; postquam cum Sancto Doctore de mirabili illa transubstantiatione, & de modo quo Christus per illam est in Eucharistia, disputavimus, superest ut de ipsis accidentibus Eucharisticis differamus, pluraque quae circa illa occurrunt difficultates, brevier resolvamus.

ARTICULUS I.

Utrum accidentia Eucharistica sint sine subiecto substantiali?

1 Accidentia panis & vini in Eucharistia remanere, facta conversione totius substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Christi, non solum fide divina certum est, & a Tridentino definitum, sed etiam sensibus ipsis notum; videmus enim in hostia consecrata albedinem, gustamus saporem, tangimus figuram, &c. Constat autem sensus non posse decipi circa proprium sensibile debite applicatum. Verum gravis difficultas est, an hujusmodi accidentia quae ante consecrationem substantiae panis & vini, ut subiecto quod, inhererant, facta consecratione, & transmutatione substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sine subiecto substantiali remaneant? Dixi sine subiecto substantiali, quia accidentia Eucharistica subsistentur in quantitate, ut articulo sequenti contra Nominales dicemus. Hoc praemisso, pro resolutione difficultatis, & declaratione ac defensione Catholicae veritatis contra hereticos,

2 Dico brevier, accidentia Eucharistica esse sine subiecto substantiali.

Conclusio est certa de fide, & definita in Concilio Constantiensi, sess. 8. contra Joannem Hus, qui hoc fidei dogma negabat, dicebatque quod *siingere accidens sine subiecto, erat blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, & vituperare Ecclesiam, per verbum accidentis*. Similia dicunt Calvinus, & unum ex praecipuis argumentis quibus probare contendunt impossibile esse veram & realem existentiam corporis Christi in Eucharistia, sumuntur ex eo quod accidens nequit sine subiecto existere: ut in disputatione proemiali art. 12. retulimus. Unde oppositum vocant inventum & commentum Innocentii III. in Concilio Lateranensi, ubi haec Catholica veritas sancta fuit, nec non in Tridentino sess. 13. can. 2. potestque brevier fuaderi, convellendum praecipuum hereticorum fundamentum. Nulla enim est contradictio quod accidentia sint separata ab omni subiecto: Ergo id potest affirmari de accidentibus Eucharisticis. Consequentia est evidens, Antecedens vero patet primo ex solutione objectionum. Secundo constat ex SS. Patribus: Basilium enim homil. 6. in Hexameron, docet prima die creatam esse lucem per se subsistentem, & ab omni subiecto separatam. *Primo die* (inquit) *ipsa natura lucis producta est, quarto autem die solis corpus, ut esset illi primogenita luci vehiculum, est conditum*. Excipitur: *Itaque ne mihi dixeris fieri hoc non posse, ut lux a corpore solis separaretur. Neque enim ego lux a solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico; sed asserendum esse censeo, quia mentis sola agitatione, cogitationeque dispartiri a se possunt, ea re ipsa seungi. Facultate Creatoris utriusque naturae posse*. Idem docet Nazianzenus orat. de novo die Dominico, & Theodoretus in questionibus super Genesim quest. 14. & 16. Ergo ex SS. Patribus nulla est repugnantia vel contradictio, quod accidentia sint separata ab omni subiecto, & careant inherencia actuali.

3 Idem probari potest argumento desumpto ex mysterio Incarnationis, quod disput. proemiali art. 7. insinuavimus. Inherencia enim actualis se habet ad accidens, sicut substantia ad substantiam, sicut enim substantia sicut substantiam, sic inherencia actualis complet accidens; ita non minus est de ratione substantiae & naturae completae per se subsistere, & propria substantia terminari, quam de ratione accidentis alibi subiecto inherere: Sed non obstante hac exigentia naturali quam habet substantia ut per se subsistat, & propria substantia terminetur, po-

test divinitus, propria & connaturali subsistentia privari, & subsistere in alieno supposito, ut patet in humanitate Christi, spoliata propria subsistentia & in supposito verbi divini subsistente: Quidni ergo similiter poterit accidens supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta, carere inherencia sibi propria & connaturali, & ab omni subiecto separatim existere?

Potest enim fuaderi conclusio ratione D. Thome hic art. 1. ubi sic dicitur: Accidentia Eucharistica non inherere substantiae panis & vini, cum illa desinat per consecrationem, ut disp. 4. ostendimus: neque etiam corpori Christi, alias corpus Christi in Eucharistia esset alterabile, corruptibile, & localiter extensum; neque aeri circumstanti, tum quia hujusmodi species non sunt ubi est aer circumstanti; quandoquidem ad motum aeris ipse non movetur: tum etiam quia non potest idem accidens de uno subiecto transire in aliud, cum accidentia numerum & individuationem accipiant a subiecto: Ergo nullum subiectum substantiale excogitari potest, cui accidentia Eucharistica inhererent; subindeque dicendum est, illa sine subiecto substantiali existere.

Obijcies primo: Minor est dependentia materiae prima a forma substantiali, quam accidentis a subiecto: Tum quia accidens individuatur a subiecto, unde mutato subiecto non est idem numero accidens; materia autem prima non individuatur a forma, quin potius illam individuat: Tum etiam quia materia prima non est entis ens, sicut accidens, sed est ens per se, unde essentialiter non dependet ab alia, sicut accidens: Sed materia non potest, etiam de potentia absoluta, esse sine forma substantiali, ut docent nostri Thomistae in Philosophia: Ergo a fortiori accidens non potest divinitus sine subiecto existere.

Respondeo quod licet in aliquibus accidentibus magis dependeat a subiecto, quam materia prima a forma, tamen in ordine ad existendum, major est dependentia materiae prima a forma, quam accidentis a subiecto; quia ut ostendunt Thomistae in Physica, materia prima desolata forma substantiali, non est in determinata specie perfecta & completa, carensque propria existentia, quam emendicat a forma, unde impossibile est quod sine illa existat: accidens autem non secundum se est in determinata specie, & habet propriam existentiam, atque ita independenter ab actuali inherencia potest existere.

Obijcies secundo: Deus non potest supplere casualitatem causae materialis, ut communiter docent Theologi, cum illa casualitas imperfectionem Deo repugnantem essentialiter importet: Ergo non potest facere quod accidens sine subiecto existat.

Respondeo quod licet Deus non possit supplere vicem causae materialis in eodem genere, quasi & ipse fiat causa materialis, recipiendo in se formam substantialem accidentalem, aut intrinsece componendo aliquod totum, id tamen potest in genere causae efficientis. Unde quando Deus dicitur sustentare accidentia Eucharistica, non est existimandum quod concurrat materialiter & subjective, id enim nimis imperfectionis est, quam ut Deo tribui possit, sed subsistentat efficienter, quatenus supplet per efficientiam id quod de concursu materiali desideratur. Quomodo autem id praestet, an per solam mantentiam, vel per alicujus modi existendi per se communicationem artic. 3. dicemus.

Obijcies tertio: Si accidentia panis & vini manerent in Eucharistia sine subiecto substantiali, essent in statu violento, cum accidens connaturaliter petat inherere subiecto: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Respondeo negando sequelam Majoris: In qualibet enim re creata est duplex inclinatio naturalis: una ad bonum sibi proprium, & altera ad obediendum suo creatori; ex quibus haec posterior, potior est, & naturalior, ac vehementior, ideoque prior inclinatio, quoadmodum isti cedit: sicut inclinatio particularis enjuslibet partis respectu boni proprii, cedit inclinationi quam habet ad bonum commune: Quia ergo existentia accidentium sine subiecto substantiali in Eucharistia, est conformis huic secunda inclinationi, quamvis sic contra primam, accidentia Eucharistica non sunt in statu violento.

ARTICULUS II.

An quantitas panis & vini sit aliorum accidentium subiectum?

1 Ostendimus articulo praecedenti, accidentia Eucharistica carere subiecto substantiali, nullique inherere substantiae: nunc brevier discutendum est, an illa subsistentur in quantitate, illaque sola existat per se? Hoc enim negant aliqui Nominales, existimantes omnia accidentia esse sine subiecto & existere per se; quia nimirum arbitrantur, quantitatem non distingui ab ipsa substantia, & quodlibet accidens habere suam quantitatem: quae principia omnino ruinosa sunt, & a Philosophia Peripatetica & Thomistica penitus aliena. Unde